itaut in lege nova necessarium sit solùm hoc disiunctum, vel contritio, vel attritio cum sacramento, quod est beneficium Evangelii duram illam, ac strictam veterem necessitatem mollientis, ac leniẽtis, dùm hoc nobis disiunctum donat; undè licet olim Scriptura exigeret pœnitentiam, quæ esset idonea ad remissionem peccatorũ, qualis tunc non erat, nisi perfecta contritio, talis tamen necessitas per institutionem ipsam huius sacramenti relaxata est, dùm conceditur nobis illud disiunctum ad obtinendam peccatorũ veniam.

Ad Confitm. potest quidem peccator ex attrito fieri contritus formaliter in hoc sensu, quòd post attritionem eliciat veram contritionem in sacramento, non tamen id necessariò evenit, potest enim pœnitens adhuc dolere præcisè metu pœnæ absque actuali dilectione; non potest tamen idem actus attritionis evadere formalis contritio, sunt enim actus essentialiter diversi propter diversitatem motivis, ut patet ex proximè dictis; ex attritio enim peccator fit contritus per sacramentum in hoc sensu, ut dicebamus, quòd in sacramento recipit gratiam, perindè ac si esset contritus, undè ex attrito fit contritus, non formaliter, sed æquivalenter, seù quoad effectum, quomodo etiam attritio ob coniunctionem cum sacramento æquivalet contritioni quoad effectum justificandi, etiamsi attritio cognoscatur, ut talis. Ad ultimum neganda est minor, quia ut dictum est *art. praced. n.* 161. *&* 162. vera pœnitentia, ut communis est ad contritionem, & attritionem Christianam, de qua tantùm est sermo, debet detestari peccata super omnia mala, & incommodo, in quibus vitandis peccatum committeretur, itaut pœnitens paratus sit abstinere potiùs à quocunque commodo, in quo peccatum inveniatur, quàm in ipsum peccatum consentire; hanc autem promptitudinem potest habere, ut etiam advertit Aversa *l. c.* & nos diximus suprà num. 163. non solùm ex suptemo motivo propter Deum, sed etiam ex alio inferiori motivo infrà Deum, ut ob turpitudinem peccati, vel metum Inferni, ut ibi declaratum est.

Dices, qui scit, se esse attritum, & contritum, accedit ad sacramentum cum conscientia peccati mortalis; ergo ponit obicem gratiæ, peccatum enim mortale gratiæ repugnat. Respond. cum Caspensi *disp. 4. sect. 10.* & aliis negando consequentiam, quia ille solus gratiæ sacramentali obicem ponere censetur, qui accedit cum dispositione repugnante effectui, ad quem primo, & per se sacramentum ordinatur, conscientia autem peccati mortalis non repugnat remissioni ipsius peccati, ad quàm tanquam ad proprium effectum primò, & per se sacramentum Pœnitentiæ ordinatur; Sed quod repugnat remissioni peccatorum, est complacentia in ipsis, & propositum, vel voluntas peccandi mortaliter, & ideò ad hoc sacramentum dignè recipiendum necessariò præexigitur, quòd pœnitens habeat veram attritionem Christianam, quæ omnem complacentiam in peccato, & omne propositum, ac voluntatem peccandi mortaliter excludit.

173 Tertia Difficultas est, an attritio debeat esse formalis, & expressa detestatio sivè dolor de peccatis; an verò sufficiat virtualis. Navarrus *cap. 1. n. 18.* Emanuel Sà verbo *Contritio*, & alii Summistæ affirmant sufficere virtualem, undè dicunt, ad effectum huius sacramenti sufficere eam attritionem, qua pœnitens dolet, se non habere dolorem peccatorum. Communis opinio tamen est, dolorem debere esse formalem, & expressum de peccatis, & virtualem non sufficere; ita Vasquez, Hurtadus, Caspensis, & alii; & probatur tùm ex Trident. *sess. 14 cap. 3. &* 4. ubi insinuat, ad effectum huius sacramenti consequendum requiri dolorem formalem de peccatis tùm ex institutione huius sacramenti per modum judicii voluntarii reconciliativi; quòd non potest consistere, nisi ille, qui vult reconciliari cum eo, quem offendit, verè, & actu doleat de offensa, eamque detestetur, sicut veram, & actualem accusationem externam exhibet: Quarè qui verè non dolet, nullo modo justificatur, etiò si id inculpabiliter faciat; novam culpam non committat. Ex quo etiam sequitur, neque justificari, etiamsi doleat, se non dolere neque enim dolere de carentia doloris est dolere de peccatis, sicut si doles, quia non amas aliquem, non ideò illum amas; tùm quia dolere de defectu, seù carentia doloris non est dolor de peccato, nec expresse, ut patet; nec virtualiter, quia carentia illa doloris, seù dolor de tali carentia non continet virtualiter dolorem de peccato, cùm sufficiens non sit, nec efficax ad excitandum dolorem de peccato.

174 Ità tamen loquitur cõmunis opinio; quia ex quatuor modis pœnitendi à Scot. assignatis *dist. 14. q. 1. ar. 3. §. de Secunda conclusione* solùm secundum agnoscit, quod est detestari, vel odisse peccatum à se commissum; at etiam alio modo potest voluntas pœnitere, ut Doctor docet ibidem, per actum scilicet imperativum, imperando nimirùm intellectui; ut consideret peccatum; ut offensivum Dei, & imperando sibi ipsi nolitionem, seu detestationem peccati commissi ad causandam tristitiam, & dolorem; & hoc modo pœnitere est vindicare, vel punire peccatum à se commissum, quia applicare sibi pœnam est tenere eam, & istud potest intelligi, inquit Doctor, sivè applicet, vel infligat pœnam in effectu, vel affectu, quia vindicans non minùs vindicat, etsi quandoque pœna non sequatur propter defectum alicuius causæ secundæ, dùm tamen ipse æquè, & justè intendat pœnam infligere, quem pœnitendi modum, ut primum, & præcipuum à Scoto assignatum, latè declaravimus ab initio huius *disp. q. 1. ar. 1.* Juxtà igitur hunc dicendi modum prima opinio optimè dicendi potest, quòd etiam interdum sufficiat dolor virtualis de peccatis, ac etiam dolor non habẽdi dolorem peccatorum; si enim pœnitens per actum voluntatis imperativum causas proximas tristitiæ, & doloris applicuit, nimirùm considerationem turpitudinis peccati, & nolitionem eius; quamvis dolor, & pœna non sequatur interdum ex defectu alicuius causæ secundæ, adhuc non minùs verè pœnitere censendus est, quia ut inquit Doctor *loc. cit.* vindicans non minùs vindicat, & si quandoque pœna non sequatur propter defectum alicuius causæ secundæ, dùm tamen ipse æquè, & justè intendat pœnam infligere.

175 Quarta tandem Difficultas est, An ad valorem sacramenti requiratur, quòd prædictus dolor confessionem præcedat. Coninchius *disp. 4. dub. 6.* censet, dolorem huic sacramento necessarium debere esse priorem, non solùm natura, sed etiam tempore confessione; Fundamentum est, quia confessio debet reddere sensibilem dolorem internum significando illum; non potest autem esse signũ doloris, nisi ex ipso dolore procedat, neque enim alio modo dolorem significare potest, nisi tanquam causam; ergo si dolor non est causa confessionis, non redditur dolor sensibilis per confessionem. Confirmatur, quia confessio debet esse signum doloris, actus verò externus non potest esse signum interni, quem non supponit. Denique accusatio vera debet esse profecta ex odio delicti; ergo si confessio non oritur ex dolore, non fuit vera accusatio.

176 Dicendum tamen est, opus non esse, quòd prædictus dolor confessionem præcedat, sed satis esse, si ipsam sequatur antè absolutionem; ita Suarez *disp. 20. sect. 4.* Lugus *disp. 14. sect. 3.* Amicus *disp. 12. sess. 4.* Caspensis *disp. 4. sess. 10.* & ferè est communis in Scholis; probatur ex praxi fidelium tràm pœnitentium, quàm Confessariorum, si enim illi aliquandò peccata confitentur absque dolore, & à Confessarii exhortatione excitati dolent, non repetunt peccata, neque ab iis ad ea repetenda urgentur, sed statim absolvuntur, tãquam ritè, & sufficienter dispositi. Confirmatur, quia nulla est ratio, cur dolor ille subsequens non sufficiat, quia licèt confessio sine dolore facta nec sit sacramentalis, nec accusatio, tamen per subsequentem dolorem informata, & subiecta clavibus, & accusatrix, & sacramentalis est. Tandem rectè proceditur in hoc negotio, si facta priùs omnium peccatorum explicatione, & posteà concepta contritione, vel attritione postremò dicat pœnitens, se dolere de omnibus peccatis iam expositis, & illorum veniam petere; & si nihil dicat pœnitens, sufficit, quòd expositis omnibus peccatis peruetiat pectus, ut fieri solet, nam etiam illa sola pectoris tunsio est vera accusatio, ut potè doloris effectus, & index.

Ad fundamẽtum in oppositum dicendum est, contritionem in eo casu, vel attritionem fieri sensibilem per ipsam confessionem præcedentem, ad quod non requiritur, quòd confessio sit effectus dolotis, sed voluntatis suscipiendi sacramentum, & hæc voluntas inferat positionem doloris necessarii; undè cõfessio significate potest dolorem, non solùm, ut sui causam, sed etiam ut con effectum provenientem ab alia causa, nempè à voluntate, seù intentione suscipiendi sacramentum, ac consequenter ponendi omnia ad illud requisita; Cum autem unum ex his sit dolor, eo ipso quòd pœnitẽs peccata confitetur, ostendit, se de eis doluisse, vel do lorem habitum esse ante absolutionem; Confessio autem non solùm significat causam illam, idest, intentionem, dictam, sed etiam alium effectum eiusdem intentionis, nempè dolorem cum ipsa connexum, & ab ipsa inseparabilem, sed disiunctivè, scilicet, vel positum, vel ponendum ante absolutionem, quo dolore sivè præterito, sive præsente, sivé etiam consequente sufficienter redditur dolorosa confessio propter connexionem, scilicet, confessionis, & doloris in illa intentione suscipiendi sacramentum cum omnibus requisitis. Ad Confirmationem pariter dicendum est, actum ex eruum esse posse signum actus interni, vel præcedentis, vel saltem concomitantis, & in prædicto casu confessionem esse signum doloris concomitantis, modo iam explicato. Ad ultimum eodem modo dicendum est, accusationem veram procedere ex odio delicti, vel præcedente, vel saltem co ncomitante, quod in eo casu non respicit propriè, ut sui causam, sed ut coeffectum ab eadem causa manentem, scilicet, ab intentione suscipiendi sacramentum cum omnibus requisitis.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Necessitate Pœnitentiæ Virtutis ad remissionem peccati mortalis.

177 POenitentię necessitas retertur immediatè ad justificationem, seù remissionem peccatorum, & quidem mortalium; mediatè verò ad glorificationem, seù æternam salutem, & procedit quæstio de potentia ordinaria, nõ de extraordinaria, qua posset Deus remittere peccata; nã de tali potẽtia loquendo inquit Doctor 4. *dist. 14. q. 1.* V. non esse ita necessariam, ut sine ea implicet contradictionem remissio peccati; quia posset Deus de absoluta

soluta potentia sine ullo actu peccatoris omnem culpam, & pœnam remittere, ut jam statuimus *lib. 2. disp. 7. de Justificatione q. 4.* & quando etiam Deus peccatum remittere vellet, mediante aliquo peccatoris actu, adhuc sine pœnitentia remittere posset, ficut enim de facto destinavit pœnitentiam inter media necessaria ad culpæ remissionem, ita destinare potuit alium actum, scilicèt temperantiæ, misericordiæ, &c. cùm id absolutè ex sua voluntate dependeat. Proceditetiam quæstio solùm de adultis, etenim de parvulis loquendo certum est justificari posse, & de facto sic justificari per gratiam eis in baptismo collatam sine aliquo motu voluntaris eorum, cujus in ea ætate sunt incapaces.

178 Pœnitentia autem duplex est, formalis, seù explicita, nempè detestatio, & dolor de peccato cum proposito emendationis, & virtualis, seù implicita, quæ consistit in dilectione Dei super omnia, seù in actu perfecto amoris Dei, qui virtute continet pœnitentiam formalem. Duplex etiam est necessitas nempè medii, & præcepti, ut explicatum est *disp. 1.* de sacramentis in genere *q. 10. ar. 3.* dicitur aliquid necessarium necessitate medii, sine quo, vel ex natura rei, vel ex institutione Dei non potest habeti finis, itaut carentia, & omissio ipsius, sivè culpabilis, sivè inculpabilis impediat consecutionem finis, undè vocatur necessitas finis, & unicum medium; illud verò dicitur necessarium necessitate præcepti, cujus culpabilis tamen, non autem inculpabilis transgressio, vel omissio impedit consecutionem finis, ut *loc. cit.* declaravimus. Nunc igitur in hac quæstione per distinctos articulos explicandum est; Quanta sit huius pœnitentiæ necessitas; Quæ, & qualis pœnitentia sit necessaria ad salutem; Undè talis necessitas oriatur. Et tandem quando talis necessitas urgeat.

ARTICULUS PRIMUS.

Quanta sit Pœnitentiæ necessitas.

178 PRimò Dicendum est pœnitentiam esse necessariam necessitate medii ad salutem homini lapso in peccatum mortale. Hæc assertio est de fide, quam Scot. docet 4. *d. 14. q. 1. D. & X. & dist.* 17. *F.* ubi indiscriminatim loquitur de omni statu hominis post peccatum; & probatur ex sacra Scriptura, quæ ubique peccatoribus hoc unicum pœnitentiæ remedium proponit, ut Eccl. 3. *si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum*, & Lucę 13. *nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*; quarè dixit Conc. Trid. *sess.* 14. *c.* 1. quòd fuit pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaria. Deindè probatur ex Patribus, qui nil frequentiùs inculcant, quàm ut peccatores pœnitentiam agant, quià hoc est illis unicum salutis remedium, undè inquit Aug. *ep. 50. nisi egeris pœnitentiam, salvus esse non poteris*, qua ratione etiam pœnitentiam secundam tabulam post naufragium appellare solent, per quam veluti unicum remedium post fractam innocentiæ navimà naufragio eripimur, & portum salutis intramur, dicitur autem secunda tabula post naufragium, quia prima est baptismus, per quem homo naufragus ex peccato originali salvatur ut notat Doct. *d.* 14. *cit. q.* 1. *D.* Ex quo loquendi modo Scripturæ, & Patrum satis constat, pœnitentiã esse propriè necessariam necessitate medii ex institutione, & ordinatione Dei, sine quo non contingit peccatorem justificari; adeò ut si peccator etiam absq, nova culpa impœnitentiæ, sed vel ex inculpabili oblivione, vel ex subitanea morte, aut judicii amissione deficiat in adhibenda debita pœnitentia, non justificabitur, neque salvabitur, sed ob priorem culpam non remissam damnabitur; Ratio autem à priori huius necessitatis fuit voluntas Dei, qui nobis in Script. explicuit, nolle se peccatoribus peccata remittere, nisi illos pœniteat, ac etiam maxima congruentia ipsius rei, non enim censetur homo pacem velle, & amicitiam cum Deo, eique reconciliari, sed potiùs manere illi aversus, eiusque amicitiam negligere nisi peccatum detestetur, quo illum offendit, & ab eo recessit, quam rationabilem congruentiam etiam Scot. adduxit *d. 14. q. 1. X.* dicens quòd sicut per peccatum homo avertitur à Deo, & convertitur ad creaturam, ita est necessarius motus oppositus, ut convertatur ad Deum; hic autem est odium, & detestatio peccati.

Dices, ex Scriptura non videri præcisè necessariam esse pœnitentiã ad peccata delenda, quia quibusdã etiam aliis piis operibus veniam peccatorum promittit, ut eleemosinæ Lucæ 11. *Date eleemosinam, & omnia munda sunt vobis*, remissioni iniuriarũ Matth. 6. *si misericordiam hominibus peccata eorum, remittentur vobis peccata vestra*, orationi etiam promissa est impetratio, correctioni fraternę & aliis virtutum actibus. Resp. tribui illis remissionem peccatorum quoad pœnam post remissam culpam, quia solet remanere reatus aliquis pœnę temporalis, quem consequenter diluere possumus aliis virtuum actibus; potest etiam eis tribui peccatorum remissio quoad culpam, sed per modum impetrationis, sivè etiam dispositionis non tamen proximæ, sed remotæ, quatenus de congruo auxilia merentur, quibus ad pœnitentiam excitamur.

179 Secundò Dicendum est, pœnitentiam esse etiam necessariam necessitate præcepti. Conclusio est communis in Schola contra quosdam apud Card. de Lugo *d. 7. sect.* 10. putantes, pœnitentiam non esse etiam necessariam necessitate præcepti, sed solùm necessitate medii, atque adeò peccatorem non pœnitentem damnari solùm ob peccatum, de quo non pœnitet, & non ob aliud novum impœnitentiæ; clarè deducitur ex Scriptura, quæ non semel de peccatis commissis pœnitentiam iniungit sub forma præcepti; ut Ezech. 18. *convertimini, & adite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris* Joel. 2. *convertimini ad me. scindite corda vestra* Matt. 3. *agite pœnitentiam*, & alibi frequenter, quæ verba utique præceptum sonant, ut satis de se constat, Probatur etiam ratione, quia si pœnitentia est necessaria, tanquam medium, non potest non esse etiam ex præcepto, quia sicut homo tenetur ad sibi procurandum suum ultimum finem, & beatitudinis consecutionem; sic pariter tenetur ad ponenda media necessaria pro talis finis consecutione, qui enim non vult medium necessarium, & unicum, non vult efficaciter finem; ergo saltem ex obligatione propriam salutem procurandi obligatio etiam pœnitentiæ oriri debet.

180 Sed Objicies, impœnitentiam, prout est solùm permanentia in peccato usque ad mortem, non esse speciale peccatum, sed circumstantiam quandam peccati; & solam impœnitentiam, prout est propositum non pœnitendi, esse speciale peccatum, ut docet D. Thom. 2. 2. *q. 14. art.* 2. sed certè si daretur speciale præceptum pœnitentiæ, impœnitentia quoque esset speciale peccatum; ergo tale speciale præceptum non datur. Confir. quia si impœnitentia esset speciale peccatum contrà speciale præceptum, sequeretur, nullum damnari posse ob unum solum mortale, quod est falsum, siquidem sufficit unum mortale peccatum ad incurrendam damnationem æternam, consequentia patet, quia omne aliud mortale peccatum, in quo quis decederet, haberet adiunctum aliud impœnitentiæ.

Respond. negando maiorem, tunc enim solùm finalis impœnitentia non est speciale peccatum, quando quis non advertendo obligationem pœnitendi, in peccatis suis mortitur, ut accidit, quando repentina morte perimitur, cùm ratione inadvertentiæ non sit voluntaria, aut culpabilis; secus autem est, quando quis advertit, se impœnitentem mori, in quo præsertim puncto tale præceptum urget; nam tunc saltem interpretativè vult non pœnitere, & sic potest dici habere propositum non pœnitendi, atque ità etiam speciale peccatum committere contra tale præceptum, quod præsertim urget in mortis articulo; de mente autem D. Thom. variæ sunt expositiones, ut videri potest apud Lugum loco citato.

A I Confirm. negatur consequentia, potest enim aliquis etiam de facto cum uno solo mortali decedere, sicut in casu allato repentina morte præventus absq; nova culpa deficiat in exercenda pœnitentia, & sufficit quidem unum mortale peccatum ad incurrendam damnationem æternam, secus autem est, quando quis advertit se impœnitentem mori, nam in eo casu nunquam aliquis moritur cum uno solo peccato mortali, neq; in hoc ullum est incõveniens.

181 Tertiò Dicendum est, pœnitentiam esse peccatori necessariam, non tantùm ex præcepto positivo, sed etiam naturali. Hæc etiam est communis, & Scot. præsertim *dist 14. cit. q. 1. & 4. A.* Quod cadat sub præcepto divino positivo, patet ex locis jam citatis tàm pro veteri, quàm pro novo testamento, vel enim est sermo de pœnitentia sufficiente extrà sacramentum, ut est contritio, vel de illa, quæ solùm sufficit cum sacramento, qualis est attritio; sed quelibet istarum sub disiunctione præcipitur in lege nova, in lege autem veteri præcipiebatur contritio, ut patet ex dictis, & ampliùs patebit ex dicendis, ergo &c. Quòd etiam sit de præcepto naturali probatur, quia jus naturæ obligat, ut homo applicet ea, quæ sibi sunt necessaria ad finem consequendum, quem sibi acquirere tenetur; sed pœnitentia est necessaria de lege ordinaria ad justificationem acquirendam, & hæc omninò necessaria est ad beatitudinis consecutionem, quam unusquisq; sibi procurare tenetur, ergo &c. Confirmatur, quia homo ex natura rei, & dictamine rationis tenetur se ordinare ad Deum, quem super omnia diligere debet; absolutè autem ad Deum ordinatur per eius dilectionem, per pœnitentiam verò supposita culpa; ergo sicut diligere Deum cadit sub obligatione naturali præcepti, ita & post peccatum, pœnitere, Deo enim tanquam ultimo fini non solùm debet homo dilectionem suam, sed etiam conversionem per pœnitentiam, si per peccatum recessit. Demùm hoc etiam probat Doctor 4. *dist.* 17. quia ea sub lege naturali cadunt, quibus intellectis, seù cognitis statim cognoscitur obligatio exequendi; sed primum principium naturale est, odiendũ, esse omne malum, quod est cognitum, ut tale, & omne malum, quod sibi, vel alienæ personæ nocet, undè qui alterum offendit, ex natura rei remanet obligatus ei satisfacere, & iniuriam compensare, quantum potest; ergo peccator eo ipso, quòd cognoscit, peccatum esse malum, & Dei offensam, ac etiam sibi obnoxium, tenetur præcepto naturali illud odire, Deo satisfacere per pœnitentiam, & propriam indemnitatem sibi procurare.

Sed obiicies, quia non apparet, ad quod præceptum Decalogi spectet hæc obligatio pœnitentiæ; sed omnia præcepta naturalia in Decalogo continentur, ergo hæc obligatio non est de jure naturali. Confirm. quia difficile est assignare tempus, pro quo obliget

præceptum pœnitentiæ jure naturali post peccatum; & ad quam pœnitentiam obliget tale præceptum, cùm hæc sit multiplex, & varia esse possit, alia enim sufficit in sacramento solùm ut attritio, aliam etiam extrà sacramentum, ut perfecta contritio, alia est formalis, & explicita, alia virtualis solùm, & implicita; difficile tandem est assignare certum motivum, undè hæc naturalis obligatio pœnitentię oriatur, & quod ex natura rei inferat obligationem pœnitentiæ de jure naturali; quia de causâ dixerunt aliqui, talem obligationem oriri ex motivo singulatum virtutum, contrà quas homo peccavit; quod nullo modo dici potest, quia quælibet virtus, verbi gratia, temperantia per se solùm obligat, ne quis committat in, temperantiæ peccatum, nec illud repetat, vel continuet; justitia obligat, ut qui furatus est rem alienam, ne illam retineat, sed non per hoc obligat, ut talis posteà per pœnitentiam resurgat, ut expellat peccati maculam, neque ad hoc se extendit illius virtutis obligatio.

182 Resp. in primis, nullam esse necessitatem talis reductionis, neque hoc præjudicare obligationi, non enim opus est, omnia præcepta in Decalogo inveniri, quædam enim sunt præter decalogũ, ut constat de actibus virtutum Theologalium erga Deum, & operibus misericordiæ erga proximum; nam præceptum diligendi Deum, quod est primum, & maximum mandatum non est expressè in decalogo, in quo primum præceptum magis videtur, esse de cultu, quàm de dilectione Dei; ita Vasquez, Lugo, Averſa, Brancatus, & Faber ex nostris, & alii Recentiores; Quoniam verò Scotus *3. dist ul. & 4. dist. 17. quæst. unic. X.* insinuat, omnia præcepta sive veteris, sivè novæ legis ad aliquod præceptum Decalogi esse reducenda; potest obligatio pœnitentiæ ad primum præceptum reduci *Unum cole Deum*, quatenus oritur ex obligatione diligendi, & reverendi Deum, impœnitentia enim utrisque opponitur, scilicet amori, & reverentiæ Deo debitis; Vel etiam si placet, potest cum Vega lib. 13. super Concilium cap. 20. reduci ad aliud præceptum secundæ tabulæ: *Non occides*, illud etiam extendendo ad vitam spiritualem tàm in se, quàm in proximo conservandam, vel recuperandam, contrà cuius amorem peccat homo pœnitentiæ remedium non adhibendo, quod est unicum ad salutem æternam. Ad Confirm. in sequentibus assignabitur tempus, pro quo præceptum pœnitentiæ obligat, & declarabitur, ad quam pœnitentiam obliget tale præceptum; hoc interim certum est, præceptum obligare ad talem pœnitentiam, quæ sufficiat ad remissionem peccati, quæ quidem potuit à Deo diversimodè ordinari, ut potè in evangelica lege institutum est sacramentum, cum quo sufficit sola attritio, quod antè à non erat.

183 Quo autem ad assignandum motivum huius præcepti varii sunt modi dicendi; Aliqui dicunt, ideò peccatorem teneri ad contritionem, quia tenetur à seipso removere malum peccati, quod est mors animæ, atque adeò quando non potest illud auferre alio medio, quàm contritione, tenetur ad illud ex motivo dilectionis propriæ, ita Vega *loc. cit.* & quidam alii Thomistæ. Sed quamvis verum sit, præceptum hoc oriri etiam ex motivo charitatis erga seipsum, ut posteà dicemus, non tamen in hoc sensu id asserendum est, quia si avertere à se damnum spirituale esset huius præcepti motivum sufficiens, sequeretur, peccatorem eo ipso, quòd peccavit, teneri ex præcepto statim ad reparandum tale damnum, quod sibi per peccatum intulit, quod falsum esse, postè à demonstrabimus; consequentia probatur, quia quicunq; ex præcepto tenetur ad reparandum damnum sibi, aut alteri illatum, incipit teneri eo ipso, quòd damnum intulit. Quidam alii Thomistæ dixerunt, obligationem specialem pœnitentiæ oriri ex motivo Fidei, quod significasse videtur S. Thomas art. 5. ad 2. ubi ait, quòd requirit ipsa fides, ut per virtutem passionis Christi quærat homo justificari à peccatis. Verùm neq; hoc benè dicitur, alioquin peccator impœnitens semper per hoc diceretur peccare contrà fidem, quod patet, esse falsum; unde solùm generali quadam ratione, & radicaliter, non formaliter, dici potest obligatio pœnitentiæ ex fide oriri, quatenus nos fides instruit huiusmodi mediis necessariis, & præceptis supernaturalibus, ut notavit Averſa *q. 1. sec. 5.* Alii ex aliis virtutum motivis conantur tale præceptum deducere; sed ut hæc difficultas breviter resolvatur.

184 Quartò Dicendum est, peccatorem ex triplici præsertim motivo obligari ad pœnitendum; primò ex præcepto dilectionis Dei super omnia, & ex debito charitatis erga Deum, quem sicut tenemur super omnia diligere, ita eius malum, & offensam avertari; ita significat Doct. *4. dist. 17. q. 1. sub Averſ. Aliter ergo*, ubi inquit, quòd quicunque primam gratiam amisit, tenetur de necessitate præcepti illius, *Diliges Dominum Deum tuum*, agere, quantum in se est ad eius receptionem, & licèt specialiter ibi loquatur de cõfessione sacramentali, eadem tamen ratio etiã de contritione concludit; si ergo vult peccator adimplere præceptũ charitatis erga Deũ necesse est, quòd se avertat à creaturis, & iterum convertatur ad Deum; talis autem motus est contritio extrà sacramentum, vel attritio cum sacramento, vel ipsa dilectio Dei, in qua includitur formaliter, vel virtualiter pœnitentia; ergo pœnitentia est necessaria ratione præcepti charitatis erga Deum. Deindè inquit Doct. ibidem esse etiam necessariam pœnitentiam ratione præcepti charitatis ergà seipsum, quod quidem non est intelligendum in sensu jam rejecto Thomistarum, quòd teneatur à seipso removere malum peccati, quod est mors animæ, sicut tenetur se eripere ex miseria corporis, quemadmodum etiam Faber ex nostris intellexisse videtur *disp. 18. c. 1. n. 11.* Sed ita debet intelligi, quia peccator tenetur impedire malum damnationis æternæ, nam hoc præceptum per se solùm obligat, quando imminet periculum damnationis æternæ; signum ergo est, hoc præceptum ideò obligare, quia homo tenetur avertere à se ipso malum damnationis æternæ. Et quidem si homo tenetur impedire proximo damnationem æternam, quæ ratione tenetur puerum in periculo mortis constitutum baptizare, & adultum in eodem periculo à peccatis absolvere, si potestatem habeat; & ille absolutionem petat; tantò magis tenetur à seipso avertere malum damnationis æternæ, cùm strictiùs obliget præceptum charitatis ergà seipsum, quàm erga proximum.

185 Denique hæc obligatio oritur quoque ex motivo; & debito justitiæ erga Deum; & specialis virtutis pœnitentię, ex primo quidem motivo, quia tenetur peccator satisfacere Deo ob iniuriã ipsi illatam, eamque, quantum potest, per pœnitẽtiam resarcire; si enim inter homines, qui alterũ offendit, ex hoc ipso remanet obligatus illi satisfacere, quantum potest, eo magis, qui Deũ offendit, quod totum concernit obligationem justitiæ; Et quamvis Cardinal de Lugo *disp. 7. n. 182.* neget, ex hoc titulo justitiæ provenire obligationem pœnitentiæ, & satisfactionis; nos tamen jam *lib. 3. disp. 4.* de Satisfactione Christi *q. 2.* satis ostendimus, concedi debere, talem justitiæ obligationem in eo, qui peccavit, ad satisfaciendum Deo, quantum potest ex parte sua. Oritur quoque hæc obligatio ex motivo virtutis specialis pœnitentiæ, quia jam suprà dictum est, pœnitentiam esse speciem justitiæ vindicativæ, siquidem Deus hominí committit, ut pro patrato delicto se puniat, ideòque impœnitentia per se, & directè est contrà justitiam vindicativam; dictum est etiã esse aliquo modo speciem quoque justitiæ commutativæ, quatenus pœnitentia ipsa assignatur, tanquam specialis virtus ab aliis distincta propriè tendens ad satisfaciendum Deo; ideòque hæc obligationis ratio propriè ipsi pœnitentiæ tribuitur, ut specialis virtus est. Adhuc tamen verum est, ut hic passim omnes advertunt, præter hæc motiva generalia, in quibusdam casibus aliquod aliud particulare motivum occurrere posse ad pœnitentiam obligans, ut si Superior pœnitentiam subdito iniungat ex motivo obedientiæ, vel aliquo alio, tunc talis virtus ad pœnitentiam obligabit; Sic etiã qui est sacramentum administraturus, vel Eucharistiam sumpturus, aut aliud ex sacramentis, quæ dicuntur vivorum, tenetur, si erat in peccato, se per pœnitentiam in statu gratiæ constituere, in quo casu obligatio oritur ex motivo, & virtute Religionis ob dignam, & reverentem Sacramentorum tractationem.

Sed Obiicies, quia hæc motiva impœnitentiam specificare non possunt, eò quòd repetiuntur in omni peccato, nam oppositio contrà dilectionem Dei est conditio generalis in omni peccato inclusa, cùm quolibet peccatum sit offensa Dei super omnia diligibilis; Sic etiam oppositio contrà dilectionem sui est conditio in omni peccato inclusa, quia omne peccatum infert hoc damnum spirituale, quod est amissio beatitudinis, undè impœnitentia ex hoc capite non erit aliud speciale peccatum, quàm permanendi in illo damno jam sibi illato per præcedentem lapsum; Sic tandem quodlibet peccatum est quædam iniustitia contrà Deum, ergo hæc ratia nequeunt esse motiva impœnitentiam specialiter specificantia. Confirmatur, quia si ita esset, tunc peccatum impœnitentiæ contrà omnes dictas virtutes opponeretur, & tot malitias specie distinctas haberet, quod non videtur affirmandum.

186 Respod. negando assumptum cum ejus probatione; licèt enim quodlibet peccatum sit offensa Dei super omnia diligibilis, & hac ratione oppositio cum dilectione Dei hac generali ratione in omni peccato reperiatur; adhuc tamen speciali quadam ratione reperitur in peccato impœnitentiæ, quia ratio ipsa dictat, ut postquam Deum offendimus, teneamur illi reconciliari, & in eius amicitiam redire, itaut non pœnitendo committatur speciale peccatum contrà debitum huius dilectionis, & charitatis, per quam illi recõciliamur, ad quã dilectionem sequitur detestatio peccati. Sic pariter quãvis in omni peccato generalis quędam oppositio includatur contra dilectionem sui, & contrà bonum animæ juxtà illud Ps. 10. *Qui diligit iniquitatem odit animam suam*; adhuc tamẽ in peccato impœnitẽtiæ specialis quędã oppositio invenitur, quia alia peccata tollunt bonum gratiæ, & meritum gloriæ, quod tamẽ facilè recuperari potest; at peccatum impœnitentiæ tollit bonum gloriæ irreparabiliter, & talem inducit glorię privationem, ut tale bonum recuperari, & tale damnum resarciri non possit. Sic tandem quamvis quodlibet peccatum generali quadam ratione sit iniustitia contrà Deum, adhuc tamen speciali quadam ratione hoc competit peccato impœnitentiæ, sub qua ratione cæteris non convenit, quatenus dici solet peccator obligari ad pœnitentiam ex motivo, & debito justitiæ erga Deum, sivè ad resarciendam, & compensandam iniuriam, & offensam peccatum Deo irrogatam.

Ad Confirmationem concedo, quòd quando omnis dicta obligatio

gatio concurrit ex illo triplici motivo, tunc peccatum impœnitentiæ contrà omnes dictas virtutes opponitur, & tot malitias specie distinctas habet; & hoc quidem per se loquendo in impœnitentia finali cõtingit quoad illos tres titulos generales huius obligationis. Tamen ut notat Averſa *q. 1. sect. 5.* non semper oportet, omnes illos tres titulos, vel motiva simul concurrere, quia potest obligatio aliàs urgere ex præcepto aliquo positivo ob unum ex illis motivis, & non ob alia. Potest etiam contingere, ut peccator cogitet, & advertat solùm ad obligationem ex uno motivo provenientem, & non ex aliis; & tunc peccatum impœnitentiæ haberet formaliter solùm deformitatem ex illo motivo, & non ex aliis.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quæ, & qualis Pœnitentia sit necessaria ad salutem.

187 VT certa ab incertis separemus, in primis certum est, pœnitentiam, quę in lege tàm naturæ, quàm Moysis erat ad salutem necessaria post peccatum personale commissum, fuisse actum contritionis perfectæ; ita docuit Scot. *loc. cit.* in quibus indifferenter loquitur de omni statu, & posteà confirmavit Trident. *sess. 14. cap. 1.* ubi docet, quovis tempore fuisse necessariam pœnitentiam universis hominibus, qui se aliquo peccato mortali inquinassent ad gratiam, & iustitiam assequendam, quam pœnitentiam pro antiquis Patribus inferiùs posteà declarat fuisse contritionem perfectam; In lege autem gratiæ necessaria est, vel contritio perfecta extrà sacramentum, vel imperfecta, quæ dicitur attritio cum sacramento, etenim Tridentinum *loc. cit.* duabus causis iustificationem tribuit per infusionem gratiæ, & deletionem peccati, scilicet, sacramento pœnitentiæ, & perfectæ contritioni cum voto sacramenti, quia in lege gratiæ, ut contritio ad salutem sufficiat, est necessarium habere votum sacramenti pœnitentiæ, ut etiam antè Tridentinum docuit Scot. *4. dist. 17. q. unic. X.* & ratio est, quia in lege Evangelica fideles obligantur ad pœnitentiam sacramentalem, itaut illis non sufficiat contritio, ut hanc obligationem adimpleant; sed etiamsi priùs per contritionem fuerint justificati fint, adhuc tenentur sacramentaliter confiteri; quia nimirùm in contritione ipsa votum sacramenti includebatur; & hæc obligatio oritur ex præcepto Christi, ut posteà de ipso sacramento ostendemus. His itaque suppositis, tanquam certis, & communiter concessis nonnullæ remanent difficultates discutiendæ, ut sufficienter constet qualem pœnitentiam peccator agere teneatur, quæ ad remissionem peccatorum idonea censeatur.

188 Prima Difficultas est, an ad pœnitentiam ad salutem necessariam sufficiat sola attritio cum sacramento confessionis Valentia *disp. 7. q. 8.* de contritione *punc. 4.* absolutè affirmat, in nullo casu, in quo per se obligat præceptum contritionis, posse per solam attritionem cum sacramento confessionis supplere, & contendit post confessionem factam adhuc teneri ad contritionem perfectam. Fundamentum ejus est, quia in Scripturis præceptum hoc pœnitentiæ intelligitur de actu perfecto huius virtutis, qui est contritio sed præceptum datum de uno actu, non adimpletur per alium actum; ergo sicut præceptum confessionis non adimpletur per contritionem, ita nec præceptum pœnitentiæ, seù contritionis per confessionem, quia hæc sunt duo præcepta distincta, & de actibus distinctis.

Cõmunis tamen sententia affirmat, ad remissionem peccati sufficere attritionem cum sacramento, & præter hoc peccatorem nõ teneri per se ex vi pœnitentiæ ad contritionem; ita Canus, Navar. Suar. Vasq. Coninch. Henriq. Amic. Averſ. & ali communiter, & sequitur ex dictis *quæst. præc. ar. 3. n. 171.* ubi diximus cum Scoto ibi citato, attritionem etiam cognitam, ut talem, ad sacramentum confessionis sufficere, & eius effectum consequendum; nam alioquin opus esset ad hoc sacramentum accedere cum contritione saltem putata, nam sententia hoc asserens, ut ibi vidimus, in eo præsertim fundatur, quod putat, contritionem esse per se, & simpliciter necessariam ad justificationem, & peccatorum remissionem. Tùm quia, ut ibi arguebamus, si non satis esset pœnitentia per sacramentum, nec sufficeret attritio cum ipso, sed simul esset necessaria per contritionem postea habendam eo modo, quo ante institutionem sacramẽti gravior, & difficilior esset remissio in lege nova, quàm antiqua, in qua sola contritio justificabat sine onere suscipiendi sacramentũ, undè sequeretur, duplicatum fuisse onus pœnitentiæ in lege Evangelica. Tùm quia hac ratione dicebamus ibidem, sacramentum facere de attrito contritum, quia æquivalet contritioni, & vim contritionis supplet. Tùm tandem quia hinc sequeretur, sacramentum confessionis peccata remittere in voto contritionis suo tempore exercendæ; quod falsum est, cùm potiùs res è contrà se habeat, quòd contritio peccata remittit in voto confessionis, ut constat ex Trid. *sess. 14. c. 4.*

Ratio autem à priori huius veritatis est Christi voluntas, qui in lege Evangelica præceptum contritionis commutavit in præceptum confessionis; atque ideò in omnibus casibus, in quibus antèà contritio obligabat, nunc per sacramentum confessionis suppleri potest; Unde non per hoc dicitur, dispensatum fuisse antiquum contritionis præceptum, sed solùm commutatum, quia loco contritionis per sacramentalem confessionem potest nunc adimpleri. Ex quo patet ad fundamentum allatum in oppositum, nam juxtà explicationem Ecclesiæ in Triden. *l. c.* nomine legitimæ, & perfectæ pœnitentiæ non tantùm intelligitur contritio, sed etiam attritio cum sacramento, etenim ad hoc disiunctum tenemur in lege gratiæ, & ita ut per utrumque disiunctum præceptum pœnitentiæ adimpleri possit, undè præceptum pœnitentiæ suppleri posse per sacramentum confessionis non tollit præceptum pœnitentiæ specialis virtutis, seù contritionis, sed tantùm facit, quod hæc non sit determinatè necessaria, quia etiam servari potest per attritionem in sacramento, quod est novum remedium ad faciliorem remissionem peccatorum, quo carebat lex vetus.

189 Secunda Difficultas est; An saltem in articulo mortis teneatur peccator non solùm per confessionem cum attritione, sed etiã per veram contritionem agere pœnitentiam; Affirmant Valentia, Suarez, Tannerus, Sanchez, Granadus, & alii Recentiores putantes, saltem in articulo mortis præceptum contritionis per se obligare independenter à præcepto confessionis. Fundamentum est, quia cùm homo non possit esse certus, se esse in gratia, & posse in sacramento aliquis intervenire defectus, vel ex parte pœnitentis, vel ex parte Sacerdotis, debet homo pluribus modis suam procurare justificationem, ut tutiùs possit ex hac vita decedere.

Confirm. quia non est omninò certum, attritionem cognitam, ut talem, ad sacramentum sufficere; & ideò quamvis alioquin in rebus moralibus sufficiat operari juxtà opinionem probabilem, tamen in re gravissima, & in extremo mortis periculo debet homo tutissimum adhibere remedium & hoc ex charitate erga seipsum. Tandem quia si quis in extremo mortis periculo conari ad perfectam contritionem renueret, suspectum se redderet, ne sufficientem quidem habere attritionem, sed potiùs occultum aliquem affectum ad peccatum.

191 Dicendum tamen est, neque in articulo mortis teneri ad contritionem, qui per sacramentum confessionis in eo articulo justificatus est, sed tantùm teneri in casu, quòd copiam Confessoris non haberet. Ità Scotus *4. dist. 19. q. 2.* in calce, & *dist. 20. q. unic. A.* ubi docet, pœnitẽtiam, vel solam interiorem, vel exteriorem cum susceptione sacramenti pœnitentiæ sufficere ad salutem alicuius in extremis; sequuntur Recentiores communiter Car. de Lugo, Amicus, Averſa, Becanus, Turrianus, Layman, Diana, & ex nostri Faber *dis. 18. cit. cap. 3.* Brancatus *disp. 14 art. 8.* & alii passim; Probatur ex *Trident. sess. 14. cit. cap. 4.* universaliter docente, vel contritionem perfectam, vel attritionem cum sacramento sufficere ad salutem, & sufficienter disponere ad obtinendam Dei gratiam, & peccatorum remissionem nullum excipiendo casum.

Confirmatur; quia nequit assignari ratio, cur in aliis temporibus sufficiat sola attritio, etiam cognita ut talis, & non in articulo mortis; ergo si in aliis sufficit temporibus, etiã & in ipso mortis articulo, cùm tunc non minorem habeat virtutem sacramentum confessionis, quàm in aliis temporibus; & planè frustrà provisum esset fidelibus in nova lege de sacramento pœnitentiæ, si hoc in maiori necessitate illis non proficeret, sed contritio necessaria esset, ut in veteri lege; sicut ergo aliis temporibus præcepto contritionis sufficienter satisfit per sacramentum confessionis, ita & in articulo mortis, ubi maior est necessitas; Denique opinio opposita est penitùs contraria ordinariæ praxi, & existimationi fidelium, tàm pœnitentium, quàm Confessariorum, non enim solet iniungi, vel cognosci talis obligatio præter diligens studium ritè, ac devotè confitendi, hoc enim solùm sufficit ad habendam moralem certitudinem de peccatorum remissione, & gratiæ recuperatione, qualis in rebus humanis requiritur.

192 Ad fundamentum oppositæ sententiæ nego, hominem in articulo mortis ad tantum onus obligari, & si potest aliquis intervenire defectus, vel ex parte pœnitentis, vel ex parte Confessarii, idque ad talem obligationem inducendam sufficeret, hoc etiam asserendum esset extra mortis articulum quia tales defectus etiam extrà mortis casum contingere possunt; tùm etiam quia esto possit aliquis intervenire defectus ex parte pœnitentis, potest etiam in exercenda contritione id contingere, quarè suæ obligationi pœnitens satisfacit, dum morali certitudine ritè confiteri conatur; ad supplendum verò Confessarii defectum sufficit bona fides pœnitentis, & moralis quædam certitudo absque alia cautela, nisi quando occurrit aliqua particularis, & moralis ratio dubitandi, ut dici solet in collatione Baptismi, Ordinis, & aliorum sacramentorum exercitio.

Ad Confirm. negatur assumptum, etenim post Concil. Tridenſatis certum moraliter est, attritionem etiam cognitam ad sacramentum pœnitentiæ sufficere, ut suprà visum est; insuper falsum est, hominem in mortis articulo teneri tutiorem iam sub præcepto eligere; sufficit enim, ut eligat tutam, & moraliter certam, quæ omne practicum dubium tollat oppositæ partis; & hoc præsertim verum est, quando neque pars tutior omne dubium metaphysicè tollit, ut est in proposito de contritione, de qua nunquam potest

quis

quis esse metaphysicè certus, sed solùm à tuta differt secundum magis & minùs intra eundem moralis certitudinis gradum. Ad ultimum argumentum non est ad rem, quia supponimus, hominem in articulo mortis constitutum facere, quod in se est, & moralem adhibere diligentiam, ac diligens studium ritè, & devotè confitendi.

Dices, saltem tenetur homo in articulo mortis actum dilectionis Dei super omnia elicere, ut communis tenet opinio, sed hic actus necessariò contritionem involvit, & detestationem habet annexam omnium peccatorum ex motivo charitatis; ergo &c. Respondetur, si tenetur homo in articulo mortis ad actum dilectionis Dei, hoc est ex alio capite, & ex præcepto charitatis, undè hæc obligatio adstringit etiam eum, qui nunquam peccasset, & pœnitentia non egeret; & quando peccator in mortis articulo aliundè mortalem haberet certitudinem, quòd peccata sint ei condonata per confessionem sacramentalem, minimè opus esset, quòd cum actu dilectionis Dei, ad quem supponitur in fine vitæ teneri, annexam haberet peccatorum suorum detestationem.

192 Tertia Difficultas est, an semper sit necessaria pœnitentia formalis, vel potiùs aliquando sufficiat virtualis, hoc est, an per solum actum dilectionis Dei super omnia, qui dicitur pœnitentia virtualis, quia continet virtute detestationem peccatorum, absque actuali pœnitentia possit in aliquo casu peccatum remitti; ubi notandum est, quòd dilectio Dei est duplex, imperfecta, & perfecta, prima compatitur secum peccatum mortale; ut si quis dicat, propono deinceps adimplere divina mandata; quia cum huiusmodi actu est compossibilis complacentia in aliquo peccato præterito, vel si quis increpet alium, quem audit Deum blasphemare, talis increpatio est actus dilectionis imperfectus, & compossibilis cum peccato mortali; Dilectio perfecta est, quæ peccatum mortale secum non compatitur, & respicit præteritum, & futurum, veluti si quis cum magno fervore dicat, vellem hactenus servasse mandata, & placuisse Deo, & deinceps firmissimè propono ei placere, atque ita si tunc meminisset alicuius peccati, illud detestaretur; huiusmodi dilectio propriè dicitur super omnia, quia vult Deo omne bonum, quod ipse præstare potest magis, quàm alicui creature; & de tali dilectione Dei in proposito est quæstio, nam omninò ad justificationem requiritur talis dispositio, quæ repugnet cum voluntate, qua priùs homo peccatis adhæserat, qualis est sola dilectio perfecta, & hæc sola dicitur virtualis detestatio peccatorum, qui enim efficaci, ter diligit Deum super omnia, vi talis dilectionis paratus est tollere, quicquid tali dilectioni adversatur, quia verò peccata nondum retractata adversantur tali dilectioni, qui Deum super omnia diligit, paratus est ea omnia destruere, & detestari, quoties menti occurrerent, aut ea per tempus excogitare liceret; hoc præaccepto pro intelligentia quæsiti.

Prima sententia negat, in ullo casu etiam naturalis oblivionis, & ignorantiæ, ac etiam martyrii pro Christo perpessi sufficere pœnitentiam virtualem in eo, qui peccata commisit, sed semper requiri pœnitentiam formalem, & actualem peccatorum saltem in genere ab eo, cui nulla occurrit memoria peccatorum in specie; ita Canus in relectione de Pœnitentia *part. 3. §. de Charitate*; Petrus Soto de Justitut. Sacerd. *lec.4.* & quidam alii Thomistæ; Secunda sententia affirmat, posse saltem in aliquo casu sufficere actum amoris Dei super omnia per modum pœnitentiæ virtualis sine expressa, & formali retractatione de peccatis commissis ad veram remissionem, & justificationem; ita Scotus *4.dist.14.quæst.1.§. de secunda conclusione, & § ex his ad solutionem.* Bassolius *q.2.art.2.* Aretinus *q.3.art.3.* Faber *d.11.cap.2.* Brancatus *dis.14.art.3.* & alii Scotistæ, quam Scoticam sententiam sequuntur communiter Recentiores, Bellarminus, Suarez, Vasquez, Coninch. Lugus, Amicus, Aversa, Valentia, Navarrus, Cordubæ, Bonacina, Vega, Reginaldus, & plures etiam ex Thomistis cum S. Thom. *3.p. q.87.art.1.* & Caiet. ibid. Qui tamen Auctores conveniunt in assignando casu, quo actus amoris sufficiat absque formali pœnitentia, & aliqui magis, alii minùs hanc sufficientiam ampliant; Sed nobis pro huius sententiæ veritate satis est quòd in aliquo casu sufficiat ad justificationem actus amoris Dei super omnia absque formali pœnitentia, saltem in eo, quem Scotus assignat *l.c.* quando, scilicet, homo non haberet spatium vitam suam examinandi, & pro tunc peccata memoriæ non occurrerent, quem casum omnes citati Auctores approbare videntur.

193 Dicendum igitur est cum hac secunda sententia, quòd licèt regulariter pœnitentia formalis post mortale sit necessaria ad salutem, in aliquo tamen casu potest non esse necessaria, sed suppleri per pœnitentiam virtualem, qualis est dilectio Dei super omnia modo jam explicato. Conclusio quoad primam partem satis patet ex *art. præced.* ubi latè ostensa est necessitas pœnitentiæ ad salutem ex Scripturis, & Concil. quæ utique loquuntur de pœnitentia formali, & de hac præsertim loquitur Trid. *sess.14.cap.4.* ubi cùm ait, contritionem fuisse quovis tempore necessariam ad impetrandam peccatorum veniam, loquitur de pœnitentia formali, quam ait, in peccati dolore, & detestatione consistere; Et ratio est, quia hic pœnitentiæ modus valdè aptus, & proportionatus est ad veniam peccatorum obtinendam, quia conveniens, justum, ac debitum est, peccatorem hoc modo formaliter, & expressè à peccatis commissis revocare voluntatem, & Deo satisfacere, siquidem hic etiam modus satisfactionis inter homines exigi solet pro offensis ab uno in alium commissis; Quando ergo instat pœnitentiæ præceptum, & homo suorum recordatur peccatorum, tenetur ad actum formalis, & expressè pœnitentiæ eliciendum, neque in tali casu sufficit actus dilectionis Dei sine tali actu pœnitentiæ, tùm quia dilectio Dei imperat voluntatem observandi præcepta; tùm quia ipsa intantùm dicitur virtualis detestatio peccatorum, quatenus de se efficax est prorumpere in formalem peccatorum detestationem, quoties menti occurrunt, & ea per tempus excogitare licet.

194 Quòd autem possit etiam aliquando peccator per solam pœnitentiam virtualem justificari, qualis est dilectio Dei super omnia, quæ erat altera pars conclusionis, probat Doct. cit. *dist.14.q.1. lit. V.* quia aliquoin daretur casus, in quo peccator destitueretur medio ad salutem contrà Scripturam. Dei misericordiam exaggerantem, qui non vult mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur & vivat, nec priùs deserit, quàm deseratur; sequelam verò probat, quia potest quis in actu fervoris ad martyrium statim sustinendum rapi, ubi fortè non esset cogitatio de peccatis commissis, nec per consequens aliqua pœnitentia formalis; ergo in tali casu homo ille non salvaretur, quia pœnitentiam formalem non habet de peccatis suis; hoc autem dici non potest, quia nullus excluditur à regno Cœlorum, qui facit, quod est simpliciter necessarium, & sibi possibile, ut facit homo ille in tali casu; necessitatur enim tunc ad toto corde insistendum circà actus distrahentes à cogitatione de peccato commisso, puta ad profitendam fidem coram Tyranno, ad patienter sufferendum martyrium, qui actus in eo instanti distrahunt, vel impediunt peccatorum cogitationem, & detestationem; igitur in tali casu dicendum est, ad eius justificationem sufficere ferventem amoris actum, quo mortem subit pro fide. Et ratio à priori est quia dilectio supernaturalis, & efficax est perfecta conversio creaturæ ad Deum; ergo statim illi correspondet conversio Dei ad creaturam juxtà illud Zacch. 1. *Convertimini ad me, & ergo convertar ad vos.* alioquin pateretur, in amore se vinci à creatura, si posita conversione perfecta ipsius ad Deum, Deus statim non converteretur ad eam. Et ad hoc faciunt plura Scripturæ, & Patrum testimonia, in quibus dilectioni Dei vis justificandi, & remittendi peccata conceditur, ut Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo*, Joan. 4. *qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*, & capit. decimo quarto *qui diligeat me, diligetur à Patre meo*, & Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* & 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Ita etiam loquuntur Patres, ut Bernardus epist. 75. Origenes homil. 2. In Leviticum, Augustinus de natura, & gratia cap. ultim. & trach. 5. in Epistol. Ioan. & alibi frequenter.

Sed obiiciunt Auctores primæ sententiæ, quia pœnitentia formalis necessaria est necessitate medii, quę autem necessaria sunt, ut media, licèt admittant excusationem, ne peccemus, quando ex ignorantia invincibili omittimus, non tamen excusationem ad mittunt ut sine illis justificemur.

Confirmatur, quia si in aliquo casu pœnitentia virtualis sufficeret, in nullo formalis necessaria esset, nam intantùm necessaria est formalis, inquantùm Scriptura inculcat, necessariam esse pœnitentiam; ergo si hæc in aliquo casu de sola virtuali explicari potest, in omni casu eadem explicatio admitti posset. Tandem quia implicat, esse veram dilectionem Dei in peccatore sine formali pœnitentia, & detestatione peccati, nam ea est natura charitatis, & dilectionis Dei super omnia, ut statim peccatorem excitet ad formalem detestationem offensæ contrà Deum, saltem in genere, si specialitèr memoriæ non occurrat.

195 Resp. negando, pœnitentiam formalem esse necessariam, ut unicum medium ad justificationem, nam in aliquo casu suppleri potest per actum dilectionis Dei, in quo ipsa virtualiter includitur, quando scilicet, homo non haberet spatium vitam suam examinandi, & pro tunc peccata memoriæ non occurrant. Quando igitur dicitur pœnitentia necessaria necessitate medii, hoc intelligendum est de pœnitentia formali, & virtuali. Et pœnitentia formalis est etiam necessaria, loquendo de obligatione præcepti, undè quando instat pœnitentiæ præceptum, & homo de suis peccatis recordatur, tenetur actum formalis, & expressę pœnitentiæ elicere, & in tali casu fatemur, actum dilectionis Dei non sufficere.

Ad Confirmationem negatur consequentia, quia cùm pœnitentia formalis sit necessaria necessitate præcepti, debet quàdo potest formaliter, & actualiter exerceri, undè quando urget pœnitentiæ præceptum, & homo suorum recordatur peccatorum tenetur actum pœnitentiæ formalis exercere, ut dictum est; in aliis verò casibus, quando formalis haberi non potest defectu memoriæ peccatorũ, vel opportunitatis temporis, potest salvari per solam virtualem. Ad ultimum dicimus, ita esse per se loquendo, suppositis saltem dubia peccatorum memoria, per accidens autem oppositum accidere potest, quando scilicet, homo non habet spatium vitam suam examinandi, & pro tunc peccata memoriæ non occurrunt. ut in casu martyrii adducto; quod autem in eo casu dilectio Dei ad pecca-

peccatorum detestationem non excitet, non est ex defectu sui, sed vel inculpabilis memoriæ peccatorum, vel opportunitatis temporis, in quo aut urget præceptum majus, ut in profitenda fide coram Tyranno, dùm ad utrumque simul animis attendere nequit: aut non potest simul in eodem momento utrumque actum dilectionis, & detestationis elicere, hoc autem efficacitati dilectionis non obest, cum per ipsam non est, quo minus opportuno tempore ad formalem peccatorum detestationem excitet, ut benè discurrit Amicus disp.14.sect.3. & est doctrina Scoti *loc.cit.*

196 Quarta Difficultas est. An aliquando cum actuali memoria peccatorum charitas supplere possit necessitatem pœnitentiæ formalis; an potiùs, ut formalis Dei dilectio sit proxima dispositio ad justificationem, debeat statim peccatorem excitare ad formalem detestationem peccatorum, quæ menti occurrunt.

Primum affirmant aliqui, quorum fundamentum est, quia pœnitentia est præceptum affirmativum, de cujus ratione est non obligare ad semper, sed suo tempore; igitur poterit peccator tẽpore, quo pœnitentia formalis non obligat, habere dilectionem Dei super omnia absque pœnitentia formali peccatorum, quę tunc menti occurrunt, sed solùm habere propositum pœnitendi tempore suo ergo statim hic justificabitur sine formali pœnitentia peccatorum, quorum præsentem memoria habet, hæc ultima consequentia probatur, quoniam dilectio Dei super omnia perfectè convertit animũ peccatoris ad Deum, & aliundè non statim tenetur ad observantiã præcepti de formali pœnitentia; ergo dilata pœnitentiam formali ad tempus debitum, quod de ea præceptum cuiret, poterit interim justificari per solum actum dilectionis formalis; pro qua sententia citari solent Medina, Gabriel, Cajetanus, Navarrus, Vega, quibus subscribunt Valentia, Lugus, & Amicus, qui volunt, actum amoris sufficere etiam in casu, quo homo recordatur suorum peccatorum, sed non instat tunc præceptum, & obligatio pœnitentiæ.

197 Dicendum tamen est, non esse sufficientem dispositionem ad gratiam justificantem dilectionem, quę non statim peccatorem excitat, vel ad formalem detestationem peccatorũ, quorum memoriã habet, vel ad detestationem in genere, si dubius sit, an aliquid commiserit, cujus memoria non occurrit. Ita Scotus d. 14.q. 1. Ubi inquit, quando adest memoria actualis peccatorum, necessariam esse formalem displicentiam, & 4.d.46.q.4. sub Nubi ait, quòd actu cogitans peccatum, & sine omni displicentia peccat; & d. 45.qu. 3. in responsione ad 3. princ. inquit, hominem obligari ad contritionem peccatorum commissorum, quotiescunq; illorum recordatur, quod ptobat hac ratione; quando enim Petrus fui peccati recordatur, aut sequitur velle, & complacere in illo; aut nolle, sivè dispilcere; aut nec placere, nec displicere; si primum, Petrus malus est, quia complacet in peccato, quod commisit; si secundum, habetur intentum, quia displicet; si tertium, adhuc malus est, quia si quis prudens, sciens cogitat de aliquo, quod est contrà Deum, & illud ei non displicet, non habet veram Dei dilectionem, quia illa non patitur secum aliquid, quod sit contrà Deum: Ex quo sequitur, dilectionem Dei in eo, qui memor est peccati, haberi connexionem moraliter necessariam cum pœnitentia formali, ut enim superbia excitat invidiam de aliena excellentia, quatenus accipitur diminuere propriam, sic amor Dei excitat detestationem peccati, de quo quis recordatur, tanquam contrarii divinæ bonitati; undè sicut quis perfectè diligens Petrum, & toto corde cogitans de aliqua injuria ei illata, non potest non tristari de illa injuria, ita si quis Deum diligit perfectè, & toto corde, & actu cogitet de offensa ei illata per peccatum commissum, non poterit non tristari de hujusmodi peccato, & injuria; Hoc idem cum Doctore tenent Amicus, Aretinus, Faber, & Brancatus *loc. cit.* qui tamen minùs rectè ait in fine illius 3.art. id evenire, non propter connexionem naturalem, quæ sit inter perfectam Dei dilectionem, & displicentiam de peccatis, sed tantùm ex Dei præcepto, & ordinatione; Hoc, inquam, minùs rectè dicitur, quia hoc etiam benè deducitur ex tali connexione naturali; quę est inter perfectam Dei dilectionem, & formalẽ displicentiã de peccatis, ut constat ex dictis, & notat Vasq. *disp.126.dub.1.*

198 Ex qua doctrina hęc regula est deducenda ad dignoscendum, quę dilectio Dei sit sufficiens ad justificationem, & quæ non; nam quęvis dilectio, ex qua per se nata est sequi formalis detestatio peccatorum, quę menti occurrerent, est sufficiens dispositio ad justificationem, quia talis dilectio perfectè cõvertit creaturam ad Deum, & virtute continet formalem detestationem peccatorum; Contrà verò nulla dilectio Dei, ex qua per se nata non est sequi talis peccatorum detestatio, non est sufficiens dispositio ad justificationem, quoniam talis dilectio compatitur secum affectum ad peccatum; undè neque cum sacramento est sufficiens ad justificationem, ut ex Trid. deducitur *sess. 14. c. 4.* Et tandem ex eadem doctrina facilè tuit fundamentum oppositę sententiæ, supponit enim, hominem non obligari ad detestationem peccati, quotiescunque memoriæ occurrit, cujus oppositum docet Doctor *loc.cit.* & nos etiam rursus dicemus *art.seq.*

Petes, an etiam tempore martyrii Martyr habens scientiam peccati mortalis teneretur tunc habere pœnitentiam formalem de tali peccato. Scotus *dist. 14. q. 1.* in fine affirmare videtur, inquit enim, quòd martyrium sufficit ad obtinendam peccatorũ veniam quando non adesset memoria de aliquo peccato, nec tempus vitam suam examinandi, undè innuere videtur, quod si adesset memoria de aliquo peccato commisso, non sufficit martyrium, sed requiritur ulterius pœnitentia formalis, quod nos quoque jam statuimus *disp.2. de Bapt.q. 7.art. 3.* & idem tenet Aretinus de mente Doct. *d. 14.q. 3.art. 4.* hoc enim insinuant rationes adductæ etiam in casu martyrii; verum tamen est, quod ibi diximus, in tali casu cũ martyrio de peccatis menti occurrentibus nõ esse necessariam contritionem perfectã, sed solam attritionem sufficere, quod etiam tenet Faber *disp.11.cit.c.2.* & Suar. *tom.3.disp.29.sec.3.* cùm aliis Recentioriques ibi citat; quibus autem casibus sola voluntas moriendi pro Christo, sit sufficiens dispositio ad obtinendam peccatorum sine pœnitentia formali, ibidem quoque explicatum est *n.201.*

199 Quinta tandem difficultas est, an qui sine formali cõtritionem justificatur extra sacramentum per formalem Dei amorẽ cum oblivione, vel inadvertentia inculpabili suorum peccatorum, teneatur postea, cùm ipsorum recordatur, elicere formalem contritionem, si nullam detestationem saltem in genere de jis habuit. Negat Vasquez q. 86. a.2.dub. quia præceptum contritionis eo fine impositum est, ut homo à peccatis justificetur; ergo hoc fine per formalem Dei amorem obtento cessat contritionis obligatio.

Confirmatur, quia præceptum Confessionis non est impositum ex fine duntaxat justificationis obtinendæ, sed etiam subjiciendi peccata clavibus; ergo licet justificatus extrà sacramentum teneatur postea confiteri, tamen justificatus extrà sacramentum per formalem Dei amorem non tenebitur postea conteri.

Affirmative tamen respondendum est cum Scoto *loc.cit.4.d.45.q. 3.in fol.ad 3.* principale, ubi non solum asserit, Viatorem obligari ad contritionem peccatorum remissorum, quotiescunque recordatur completa deliberatione, sed etiam ait, ad hoc fore obligatos Beatos, si in illis daretur memoria peccatorum, vel si datur, nisi gaudium beatificum impediret; & sequuntur communiter Recentiores, Suarez, Coninchius, Amicus, Henriquez, Caspensis, & ex nostris Aretinus, & Faber *loc. cit.* Verùm tamen est, Recentiores citatos id tenere, non ex eo capite, quòd præceptum contritionis obligaret, quotiescunque peccata memoriæ occurrunt nam plures id negant, ut videbimus art. seq. sed quia cùm hoc præceptum sit natura le fundatum in ipsa natura reconciliationis, posito quòd defectu inculpabilis oblivionis non fuerit statim adimpletũ, adimplendũ est, cùm primùm potest, potest autem, cùm primùm oblita peccata mentem subeunt; Et quidem si Deus ultrà formalem sui amorem sine memoria peccatorũ elicitũ exigit accedẽte recordatione formalem contritionem, plane rem exigit multum rationi consonam, nam valdè consonum est rationi, ut qui alium offendit, ultrà actum amoris ergà illum elicitum, debeat quoque illi signa doloris, & pœnitentiæ de offensione illata exhibere, hoc enim est signum indicans veram, & efficacem dilectionem, quę de se talem infert illatæ offensã detestationem. Undè ut notat Amicus *disp.14.sec.3.cit.* ut Deus in tali casu remittat peccatum, non expectat ex parte nostra formalem peccatorum detestationem, sed statim condonat, posita efficaci dilectionem, talem detestationẽ virtualiter includentẽ, & ratio est, quia formali peccatorũ detestatio in tali casu nõ requiritur, ut vim remissivam tribuat dilectioni, quę cùm sit causa detestationis, non potest vim ab ipsa accipere; sed solùm requiritur, ut effectus ad efficacem Dei dilectionem naturaliter consequens; atquè ideò ut sit causa ad justificationem disponens, non pendet à peccatorum detestatione, tanquam à causa formaliter tribuente efficacitatem, sed solùm tanquam à signo veram, & efficacem dilectionem, indicante, quæ de se talem infert peccatorum detestationem; Ex quo fit, ut in tali casu pœnitentia formalis solùm requiratur, ut præceptum naturaliter servandum, cùm primùm servari potest, dilectio verò, ut causa formaliter ad justificationẽ disponens; sicut pœnitentiæ sacramentum nõ concurrit cum ipso actu contritionis in eo, qui extrà sacramentum justificatur, ut dispositio ad justificationem, sed solùm ut præceptum suo tempore exequendum.

200 Ex quo patet, ad fundamentum Vasq. negandam esse consequentiam, nam per formalem Dei dilectionem remissum est peccatum cum obligatione ad contritionem, quia detestatio formalis est effectus naturaliter consequens dilectionem efficacem Dei, & pœnitentia formalis requiritur, ut præceptũ naturaliter servandum, cùm primùm servari potest, potest autem, cùm primùm oblita peccata mentem subeunt. Ad Confirmationẽ negatur pariter consequentia, quia sicut Deus per contritionem extrà sacramentum justificat cum obligatione confitendi, ut primum potest; ita per formalem sui amorẽ in casibus allatis peccata remittit, ut quãdo postea peccator justificatus sui peccati recordatur, de eo quoq; conteri teneatur, quia Deus cum tali onere censetur illud remisisse, sicut remittit illud cum onere confitendi, si hoc fieri possit. Dices, non tenemur præter dilectionem virtualem inclusam in detestatione formali peccatorum elicere formalem dilectionem ergà Deum; ergò nec tenebimur præter detestationem virtualem in delectione formali inclusam elicere detestationem formalem s Negatur consequentia, & paritas cum Amico *loc. cit.* quia plu.

tenetur peccator ad removendum malum, quod per peccatum Deo intulit, quàm ad volendum bonum eidem Deo, quoniam ad illud duplici titulo tenetur amicitiæ, & justitiæ, ad hoc verò tantùm titulo amicitiæ; & ideò non solùm tenetur ad illa virtualiter detestanda titulo amicitiæ, sed etiam formaliter detestanda titulo justitiæ, exigit enim justitia pro recompensatione offensæ formalem illius retractationem, nam dum illa non retractatur, semper censetur moraliter manere.

ARTICULUS TERTIUS.

Quando Necessitas pœnitentiæ urgeat, & præceptum contritionis obliget.

201 SErmo est rursus de Pœnitentiæ virtute, non sacramento, nam benè notum est extare apud fideles præceptum annuę Confessionis, quod est positivum Eccles. quantum ad hanc temporis determinationem; sermo item est de obligatione per se, & ab intrinseco ratione virtutis pœnitentię, certum est enim per accidens, & in gratiam alterius obligare aliquando, ut si conscius peccati mortalis debeas sacramentum aliquod ex jis, quæ vivorum dicuntur, suscipere, vel quodcunq; sacramentum ex officio ministrare, vel si inter peccandi occasiones constitutus gravibus pulseris tentationibus, quibus periculum est succumbere, nisi per contritionem vires à Deo obtineas; nam in primo casu de administratione, vel susceptione alicujus sacramenti obligatio pertinet ad Religionem, non autè ad Pœnitentiam, si alioquin non occurrat tempus, in quo simul urgeat pœnitentiæ præceptú; Et pariter in secundo casu, quàdo advertit homo, se esse in novo peccandi periculo, talis obligatio non oritur proprie ex virtute ipsius pœnitentiæ, sed potiùs ex vi alterius virtutis, contrà quam imminet peccandi periculum. Certum autem in primis est, pręceptum pœnitentiæ per se obligare in articulo mortis, si peccator non habeat copiam confessoris; ita est cõmunis omnium sensus, nam si tunc non fiat pœnitentia, aliud tẽpus non supereet, quo fiat, non enim in alia vita datur locus pœnitentiæ salutaris; & quidem tunc temporis pręceptum pœnitentiæ per se, & ex natura rei intrinsecè obligat, & ex illo triplici motivo generali superiùs *art.1.n.290.* & idem dicendum est in casu, quo periculum amentiæ imminet, quod quantum ad hoc periculo mortis æquivalet. Remanet itaque dubitatio, an extra periculum mortis aliquo alio tempore tale præceptum per se obliget.

202 Pronto itaque dubitatur, an peccator post commissam culpam statim, & absque dilatione resurgere teneatur, & pœnitere. Affirmant quamplures ex veteribus Theologis, quorum aliqui dixerunt, quòd licet non obligaret omnes statim post peccatum, saltem obligare aliquos, scilicet, Religiosos, utpotè qui majorem profitentur familiaritatem cum Deo, atq; adeò continuò post peccatum tenentur illi reconciliari, ita D.Bon.*3.d.17.p.2.a.2.q.2.* Negant alii communiter, teneri peccatorem de rigore, & per se loquendo statim, seù quamprimum post peccatum commissum redire ad pœnitentiam, & quia D.Thomas, Alensis, D.Bonaventura, & Scotus, nihil expresè de hoc determinarunt, itaut sit necessarium, & de præcepto, sed solum tanquam decens, & magis congruum commendatur, ideò hæc secunda opinio tenenda est, ut modo communis in Schola Recentiorum, quia non eo ipso, quòd aliquid est congruum, & decens, fingendum est præceptum naturale, quo præcipiatur. Et ratio clarissima est, quia licet obligatio ad non peccandum sit per modum præcepti negativi, obligatio tamen resurgendi post peccatum commissum est per modum præcepti affirmativi: ergo non obligat semper, & pro semper, sed certis, & determinatis temporibus.

Confirmatur, quia ex opposita sententia sequitur, peccatorem continuò peccare actualiter, quia qui tenetur ad aliquod pręceptú affirmativum, eo tempore, quo tenetur, & non implet, peccat peccato actuali; ergo si peccator statim post commissum peccatũ semper tenetur præcepto contritionis, & statim pœnitere absque ulla dilatione, semper peccat actuali peccato, quod nimis durum est, & contrà communem sensum fidelium, nam neque pœnitentes se accusant de hac dilatione, neque Confessarii eos interrogant. Tandem neque Religiosi ipsi ex perfectione sui status tenentur statim à peccato resurgere, quia Religiosi non tenentur ad plus, quàm alii, nisi ad quod voto se adstrinxerunt, licèt possint, & soleant ex vi suæ regulæ ad sæpiùs, & citiùs confitendum obligari.

203 Sed objiciunt, quia nunquam licet peccatum committere, ergo neqin eo manere, atque ideò statim peccator tenetur per pœnitentiam resurgere. Tùm 2. quia ex dilectione tui corporis ægri statim quæris remedium; ergo statim, & animæ languenti quærendum. Tùm 3. ex dilectione proximi statim quęris ejus salutem per fraternam correctionem; ergo & tui ipsius quærere debes per pœnitentiam. Tum 4. ex justitia statim satisfacis proximo tuo offenso, & restituis, ergo & statim Deo offenso satisfacere debes. Tùm 5. si peccator non tenetur statim se liberare à peccato, potest velle hic, & nunc non converti, quod videtur intrinsecè malum. Tùm 6. Religiosus saltem semper tenetur tendere ad perfectionem; sed quando est in peccato mortali, non tendit, ergo ut tendat, tenetur statim resurgere. Tandem arguunt ex pluribus Scripturæ locis, in quibus dilatio pęnitentiæ damnatur, ut Eccles. 5. non tardes converti ad Dominũ, & non differas de die in diem; & ad Rom. 2. Tu autem secundum duritiam tuam, & impęnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ; & sic etiam loquuntur Patres.

204 Respondetur negando consequentiam, utique enim verum est, nunquam licere manere in peccato actuali, illud continuando, sed non est eadem obligatio statim resurgendi à peccato habitualis, quia in isto non permanet homo per aliquam actualem transgressionem, sed solùm dilationem pœnitentiæ, ad quam adhuc non obligatur. Ad 2. negatur assumptum, undè argumentum retorqueo, quia sicut non teneris adhibere statim remedium corporis, sed imminente gravi periculo, idem dicendum de animę curatione, Ad 3. dicendum, neq; ex præcepto correctionis fraternæ, nos teneri peccatorem monere, ut statim à peccato resurgat, sed solùm quãdo illi incumbit obligatio pœnitentiæ; tunc enim tenemur, quia tenemur impedire novum peccatum impœnitentiæ, nam præceptum fraternę correctionis propriè obligat solùm ad impediendum peccatum futurum, non autem ad tollendum præteritum, quam doctrinam de pręcepto fraternę correptionis approbant Vasq. Lugus, Aversa, Caspensis, & passim alii Recentiores; Quod si interdum frater corripitur statum, vel paulo post peccatum commissum, hoc est, quia fortè posteà non erit opportunitas, propriæ autem pœnitentiæ semper opportunitas adest. Ad 4. restitutio ablatis, & satisfactio statim debetur proximo solùm in casu, quòd damnum aliquod sequatur per dilationem, & hoc ipsum ergà Deum deberemus, si ex dilatione novum damnum contrà Deum sequeretur, & augeretur læsio, quod non contingit ex tali dilatione, quia nullum novum damnum, aut nova injuria per se fit Deo ex eo, quod non statim peccatum retractamus. Ad 5. dico, non esse intrinsecè malum velle non converti hic, & nunc, quando pręceptum conversionis non obligat, sed tantùm, quando tale pręceptum obligat. Dices, velle perseverare in peccato, & inimicitia Dei, & perseverantiam istam causare est malum; sed velle non converti hic, & nunc est velle perseverantiam in peccato, & illam causare; ergò est malum.

Respondeo negando minorem, nam velle non converti hic, & nunc, quando præceptum conversionis non obligat, non est actus intrinsecè malus, dicit enim solam negationem pœnitentiæ pro tempore, quo non obligat sub novo peccato; at velle perseverare in peccato est actus intrinsece malus, quia dicit ipsum positivum statum peccati, & inimicitiam cum Deo, quæ sunt intrinsece mala. Et sicut quandoquis non tenetur corripere proximum, & ideò non vult corripere, non per hoc vult peccatum proximi, sed tantùm vult illud permittere, ita neque non velle converti, quando pręceptum non urget, est per se causa perseverantia in peccato, sed tantùm per accidens, cum sit solùm permissio talis effectus, permissio verò rei malæ, dùm impedire non tenemur, mala non est.

Ad 6. tendentia ad perfectionem in Religioso est finis, & circũstantia generalis, sicut amicitia Dei, & obedientia Decalogi in Christiano, & ideò quia generalia sunt, quamvis in quolibet peccato omittantur, nisi per se, & directè contrarium intendatur, diversum peccatum non constituunt; Quando itaq; dicitur, Religiosum semper teneri tendere ad perfectionem, hoc ita intelligendum est, ut nunquam velit regredi, vel non progredi directa, & expressa voluntate, non verò indirecta, & implicita, qualis est in casu nostro. Ad ultimum testimonia illa Scripturæ, & similia indicant tantùm consilium, non verò pręceptum; vel si pręceptum important, hoc solùm jubemur desistere ab actualibus peccatis continuandis, & repetendis; Vel tandem si præceptum important de non differenda pœnitentia, hoc solùm convincit, pręceptũ de contritione obligare aliquibus aliis temporibus extra articulum mortis, quod gratis concedimus, ut mox dicemus, non verò quod statim obliget post peccatum commissum. Dices, semper tenetur homo non esse Deo insensus, & inimicus; ergo si peccatum incurrit, statim tenetur ab eo resurgere, cùm per peccatum homo fiat Deo insensus, & inimicus. Resp. semper hominem teneri non esse Deo insensum, & inimicum actu, non autem habitu, nisi quando currit pręceptum de reconciliando nos cum Deo.

205 Secundò dubitatur, an saltem alio tempore antè mortis articulum pręceptũ contritionis per se obliget de peccatis commissis pœnitere. Negant Vasq. dub. 6. Hurtad. diffic. 4. & alii asserentes, pręceptum pœnitentiæ obligare per se solùm in mortis articulo, quia tantùm videtur contrà rationem, & contrà charitatem ergà Deum in ęternum permanere in inimicitia Dei, & ita etiam sentit Cajetanus in Summa verbo *Contritio*. Oppositum docet communis sententia tàm Veterum, quàm Recentiorum, ut videre est apud Coninchium, Lugum, Suarez, Aversam, Caspensum, Bancum, & alios, & fuit præsertim expressa Scoti sententia *4.distinct. 20.* ubi agit de difficultate pœnitentiæ in extremis, & in solutione ad 2. ait, quòd qui determinat nõ pœnitere, nisi in articulo mortis, mortaliter peccat, quia se exponit periculo decedẽdi ex hac vita in peccato mortali, cùm articulus mortis sit incertus; & hoc suadent plura Scripturæ testimonia dilationem pœnitentiæ usque ad extremum vitæ damnantia, & Patrum acriter reprehendentium nimiam pęnitentiæ dilationem, inter quos Augustinus præsertim à Scoto *l.c.* relatus pœnitenti in articulo mortis minimè credit, undè inquit *ser.37.* de Tempore, *age pœnitentiam, dùm sanus es, securus es, quando eo tempore pœnitentiam egisti, in quo peccare potuisti, si autem vis agere pœnitentiam, quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt non tu illa.* Et ratio expressa deducitur ex triplici motivo generali pęnitẽtię superiùs assignato *n.190.* charitatis Dei, charitatis propriæ, & justitiæ; cùm enim dilectio Dei hominem obliget, ut interdum in spatio vitæ actum dilectionis exerceat, utique eadem ipsa charitas peccatorem obligabit, ne per totam ejus vitam, aut magnam partem inimicus Deo existat. Et cùm homo se diligere teneatur quantum ab bona spirituali; maximum plane ejus malum esset, & gravissimum animæ periculum per totam ejus vitam, aut magnam vitæ partem in statu periculi facere, raro enim concluditur, diù vixisse in peccato, & mori in gratia, ut enim inquit Aug. *l.c. Pœniten. sera rarò vera.* Et denique ex speciali etiam motivo justitiæ, seu pęnitẽtię, ut est specialis virtus, peccator obligari videtur, ne tamdiù differat satisfactionem Deo offenso, hic enim esset manifestus contemptus divinæ amicitiæ.

106 Quando autem intrà vitæ cursum, seù quanto tempore post commissum peccatum, teneatur peccator ex natura rei ad pœnitentiam, difficilè est determinare: Coninchius, Lugus, & alii spatium trium, aut quatuor annorum designant; sed pro diverso statu personarum, aut circumstantiarum erit hoc tempus plus, vel minus contrahendum, sicut in aliis materiis ieiunii, furti, dilationis votorum &c. fieri solet, undè magis coarctari debebit pro Religiosis, verbi gratia quàm pro Laicis ratione status, & conditionis personarum. Solet etiam hoc tempus in quibusdam occasionibus determinatè assignari; obligat enim quoties, quis tenetur elicere actum dilectionis ergà Deum, certum autem est, præcepta Fidei, Spei, & Charitatis non obligare solùm in fine vitæ; tùnc ergo pariter etiam pęnitentiæ præceptum obligabit, quia ut supra dictum est; amor Dei super omnia necessario infert dolorem de peccatis, quando menti occurrunt, & propositum firmum ea in posterum cavendi, undè quando quis tenetur ad amorem, tenetur etiam ad pęnitentiam.

Rursus obligat in mortali periculo vitæ, ut passim docent, est autem morale periculum vitæ, non in quo uni, aut alteri, sed in quo plerumque solet mors contingere, ut in bello, vel longa, & periculosa navigatione, quia naturale periculum vitæ æquivalet supremo mortis articulo; tenetur, inquam, homo in his casibus, vel ad actum contritionis, si copia Confessarii non adest, vel ad sacramentum confessionis saltem cum attritione. Item addunt aliqui casum publicæ necessitatis, quando, scilicet, probabiliter timetur, Deum punire populum ob peccata particularia, nam tunc unusquisque tenetur per contritionem se disponere ad placandam divinam iustitiam. Verùm Vasquez, Bonacina, & alii censent: simpliciter non occurrere, quia Deus exaudit etiam peccatores cum fide petentes. Demum alii addunt casum, in quo currit pręceptum annuæ confessionis, & deest Confessarius, vel pœnitens obmutuit, tunc enim ajunt, teneri effectum sacramenti contritione supplere, quia pręceptum confessionis in lege Evangelica est subrogatum pręcepto contritionis. Sed Suarez, & alii id negant, quia pręceptum confessionis annuæ est purum Ecclesiasticum, Ecclesia autem potest per se obligare tantùm ad actum externum, & per concomitantiam ad actum aliquem internum; quando autem quis ab opere externo excusatur, ut in casu posito, non propterea obligatur ad actum ullum internum æquivalentem.

207 Tertiò Dubitatur, an hoc pręceptum obliget, quoties peccata commissa menti occurrent; potest autẽ cogitatio, vel reminiscentia peccati commissi esse duplex, alia completa, & deliberata, & est, quando voluntas ex electione cogitat de peccato commisso, vel si ex accidenti talis contingat recordatio, voluntariè, & deliberatè sistit in tali cogitatione, quam alii cogitationem practicam appellant, alia est incompleta, & indeliberata, & est, cùm quis ex accidenti cogitat de peccato commisso, non ex electione, sed ex surreptione, & primis motibus, & raptim transit absque consilio, & discussione naturæ talis actus, vel objecti, quam proinde alii cogitationem speculativam vocant, quia speculativè tantùm se habet voluntas circà tale objectum; Quæstio igitur est de cogitatione completa, & deliberata, nam de cogitatione indeliberata, & ex surreptione omnes concedunt, hominem non teneri de peccatis commissis contèri, quoties sic menti obiiciuntur. Sententia negativa communis est inter Recentiores videre est apud Suar. *disp.* 15. *sess.*4.

208 Affirmativa verò, ut magis pia, apud veteres Theologos est magis recepta, & expresè deducitur ex Scoto *l.c.distinct.* 45.*q* 3. *ad 3.princ.* ubi quærens, an Beati, cùm recordantur peccatorum commissorum, tristentur, inquit; Si Viator completa deliberatione recordari non potest peccatum commissum, quin detestetur, vel displiceat, alioquin peccat ad minùs omnittendo &c. & inferiùs *dist.* 49.*qu.*4.*sub* N. ubi dicit, actu intelligens Deum, & nullo modo diligens peccat; similiter actu cogitans peccatum, & sine omni displicentia peccat, sequuntur Scotistæ passim, & præsertim Branc. *disp.*14.*art.*7. & Eab. *disp.*18.*c.*4. pro qua etiam adducit D. Thom. & D. Bonaventuram, & Alensem; Verùm est tamen, ut Brancatus notat *loc. cit.* quòd quando hi Theologiæ proceres dixere, tàm de lege naturæ, quàm positiva divina peccatorem teneri ad dolendum de peccatis commissis, quoties de illis complete, ac deliberatè recordatur, non esse solùm locutos de pœnitentia iustificante, qualis est contritio, ut loquuntur Recentiores, sed de omni actu pœnitentiæ indiscriminatim, sivè contritionis, sivè attritionis, & de contritione, sivè formali, sivè virtuali; quia re vera non eo ipso, quòd homo recordatur peccati commissi, statim tenetur se ad iustificationem disponere per actum contritionis perfectæ, alioquin frustrà institutum esset pœnitentię sacramentum, nam homo teneretur accedere semper iustus ad confessionem, sed sufficit, & pręceptum pęnitentiæ satisfacit, si se disponit ad iustificationẽ per attritionem; Et hoc etiam satis congruum est, ac rationi consequenter, quia sicut alia præcepta, sive naturæ, sivè positiva, licèt pro certis casibus obligent, non tamen obligant ad actus perfectissimos, qui in talium præceptorum virtutibus fieri possunt, ita de pœnitentiæ præcepto dicendum est, quod non semper obligat ad perfectissimum.

209 Assertum verò sic explicatum probatur ratione Scoti *5.dist.* 45.*qu.*3. in solutione ad 3. prin. superiùs adducta *n.*203. nam peccator deliberatè cogitans de peccato commisso, hoc est, ex electione, & cum attentione, vel illud detestatur, & habetur intentum, vel complacet in eo, & sic peccat novo peccato commissionis, vel nec complacet in illo, nec displicet de illo, & sic ad minùs peccat peccato omissionis, inquit Doctor; Neque dicas, tunc non peccare peccato omissionis, quia tunc pręceptum pœnitendi non obligat, undè potest sine peccato omittere absque actu amoris, vel odii, complacentiæ, vel displicentiæ, cùm sit liberum homini sic operari, scilicet, volendo, odiendo, & non volendo. Nam in primis non video, quomodo Adversarii hanc possint adhibere responsionem, cùm ipsi puram omissionem non admittant; Tùm quia hæc est manifecta principii petitio, quòd tunc pręceptum pœnitentiæ non obliget, hoc enim est, quod modò disputatur, & nos asserimus, quòd si pręceptum est, aliquando de peccatis commissis pęnitere, non potest opportunum tempus assignari, quàm cùm menti occurrunt ex electione, & plena deliberatione, ut offensiva Dei; ergo tũc obligat, ut ea actu detestemur. Tùm quia si non est opportunum tempus detestandi peccatum, quando cum plena deliberatione, & attentione à ratione voluntati proponitur, ut detestandum, nec tunc pœnitentię obligatio urget; nullum tempus erit à lege naturę determinatum, in quo tale pręceptum urgere debeat, quia non est maior ratio, cur in hoc tempore potiùs citrà mortis articulum vrgere debeat, quàm in alio, neque enim ex naturæ dictamine potest pro aliquo tempore magis malum apparere, quàm pro alio, & magis odiendum, quàm pro alio; ergo si pro omni tempore, in quo attentè cognoscitur, & cum plena deliberatione, eius malitia apparet, pro omni tali odio habendum erit, ut benè discurrit Brancatus *loc.cit.*

210 Sed obiiciunt, quia non est, undè pręceptum hoc colligatur, cùm enim sit affirmativum, non obligat statim, ac menti occurrit practicè observandum, siquidem hoc est propriũ solius pręcepti negativi. Tùm 2. quia in prima dubitatione proposita huius articuli *n.*208. diximus, post peccatum commissum non statim teneri hominẽ de illo pęnitere, non potest autem pęnitere, nisi cùm primo occurrit memoria peccati; ex quo sequitur evidenter, non teneri pro quocumque tempore, quo ei in memoriã venit, alioquin etiam teneretur, cùm primò ei occurrit post ejus commissionem. Tùm 3. quia non minùs obligat pręceptum charitatis ad Deũ diligendum, quàm contritionis ad detestandum peccatũ; sed sola memoria Dei practicè diligibilis non obligat ad actualẽ Dei dilectionẽ; ergo nec sola memoria peccati practicè detestabilis ad actualẽ eius detestationem. Tùm 4. quia non est gravius hoc pręceptum de odiendo peccato, quàm de amando summo bono; sed hoc nõ obligat semper, ergo nec illud. Tùm 5. quia posset homo in tali casu divertere à tali cogitatione absque actu complacentiæ, & displicentiæ, & aliud considerare. Tùm tandem, quia fideles communiter non putant, se esse ad hoc obligatos, nec etiam ipsi se de tali peccato omissionis accusant, aut Confessores de illo eos interrogant.

211 Resp. negando assumptum, lex enim naturæ id præcipit, est enim primum principium naturaliter notum, malum debere displicere bonum verò amari, & hoc dictamen non obligat pro tempore ignorantiæ boni, & mali, sed pro tempore cognitionis, non quidem indeliberatæ, & transitoriæ, sed deliberatæ, & plenæ, quando nimirùm peccator cogitat de peccato commisso, ut est offensivũ Dei; Neque ob id tale pręceptum est negativum, aut in omnibus illi simile; quia negativum pro nullo tempore, nec etiam pro instanti contrarium admittere potest; affirmativum verò potest, quia nec omni momẽto, aut hora tenetur quis esse in actu penitẽdi sed tantũ cùm practicè cogitat de qualitatibus peccati; Tùm quià pręceptum negativum obligat semper, & pro semper, non sit affirmativum,

mativum, sed habet aliquam conditionem, & circumstantiam, quæ quando advenit, obligat, & extrà illam minimè, ut colere Deum determinatur ex circumstantia diei festi, honorare parentes, habet pro circumstantia principali eorum inopiam, & egentiam; præceptum autem de pœnitentia faciendi non habet aliam circumstantiam, & conditionem, quæ ipsum obligare faciat, quàm cognitionem practicam, & deliberatam peccati commissi; etenim extremum vitæ periculum, ut Fab. notat *l. c.* est potiùs extrinseca conditio, undè si quis repentè moreretur, itaut tempus recogitandi peccata non haberet, non peccaret, non pœnitendo in mortis articulo, neque damnaretur ob impœnitentiæ peccatum in mortis articulo, sed quia peccatum habuit, de quo nunquam pœnituit, quandò de illo plenè, & deliberatè recogitavit.

212 Ad 2. ob eam rationem Fab. *dis. 18. qu. c. 5.* tenet, hominem teneri ad pœnitentiam statim post commissum peccatum, intelligendo per illud *statim*, non quidem tempus illud, quod immediatè sequitur ad actum completum peccati, sed illud tempus, quo post actum peccati memoria ipsius occurrit, vel aliqua occasio se offert de illius cogitatione. Sed planè Doctor, qui in prima hujus articuli Dubitatione, asserebant, teneri peccatorè de rigore, & per se loquendo statim, seù quam primùm post commissum peccatum redire ad pœnitentiam, nò in hoc tantùm sensu loquebantur, ut explicat Fab. quasi vellent, teneri solùm, quando occurreret plena, & deliberata cogitatio de peccato commisso, imò potiùs volebant, quâ primù m moraliter fieri potest, teneri peccatorem ad examen conscientiæ faciendum de peccatis commissis, & eorum cogitationem procurare, & de illis pœnitentiam agere, & in eo sensu eam opinionem reiecimus, ut nimis rigorosam, & diximus, ad tale examen non teneri, neque ad talem pœnitentiam; cum quo tamè ad huc stat, quòd si aliqua occasio se offert de peccati commissi cogitatione habenda plena, & deliberata, tunc ad illius detestationem teneatur, tunc enim tempus est, in quò debet doni actus ejus in esse, & in quo obligat præceptum pœnitentiæ; Undè in sensu Fabri gratis concedimus, peccatorem post peccatum commissum teneri statim conteri, licèt non sit modus satis proprius loquendi, neque ab illis Theologis intentus, qui id asserebant in prima Dubitatione huius articuli, ut dictum est; atque ideò rationes Fabri ibi adducere non curavimus, quia non probant, nisi assertionem modò à nobis propositam pro solutione præsentis Difficultatis, non autem opinionem veterum illorum Scholast. ibi reiectam, & in sensu ab illis intento.

213 Ad 3. negatur minor, imò retorquetur argumentum, nam quoties deliberate cogitat homo de sùmo bono, tenetur illud amare; ergo quoties cogitat deliberatè de summo malo, quale est peccatum, ut Dei offensivum, tenetur odio habere eodem enim modo se habent odium mali, & amor boni, nam ex naturæ principiis hæc doctrina deducitur, quòd nocivum cùm attentè cõsideratur, odio haberi debet. Ad 4. concessa maiori dico ad minorem, quòd licèt præceptum de summo bono amando nõ obliget pro semper absolutè, quia præceptum affirmativum est, obligat tamen, quoties de eo deliberate, & advertenter cogitatur, tũc enim tenetur ad eius amorem sivè perfectum, sive imperfectum, quia hæc obligatio differt ab ea, qua homo tenetur Deum super omnia diligere, & certis temporibus obligat, ut notat Branc. *l. c.* Ad 5. concedo, quò posset homo in tali casu cogitationem à peccato divertere, sed per talem divisionem legi naturę non satisfaceret, sicut qui videt proximi necessitatem, & à via divertit, vel à cogitatione, ne videat, utique legi naturæ de proximo succurrendo non satisfacit. Ad ultimum negi assumptum, certum enim est, quòd regulariter loquendo, quando quis de peccatis commissis attentè cogitat, vel illa odit, vel in illis complacet, & de tali complacentia se in confessione accusat, & à Confessario interrogatur, an eam habuerit; undè eo ipso, quòd se accusat, habuisse complacentiam de peccato commisso, cùm illud recogitavit, sufficienter confitetur omissionem detestandi, quæ cũ tali complacentia est necessariò connexa. Dices, saltem illi, qui non habent complacentiam, & ad aliud cogitationem divertunt, hæc omissionis peccata non confitentur. Resp. cum Branc. *l. c.* dari rarum casum istarum diversionum, & quando etiam dantur, sufficiè ter quoque manifestari solere à pœnitentibus, dum se accusant, nõ respondisse divinæ vocationi de pœnitendo, & nullos etiam Confessarios de his interrogare: alios autem, qui contrariæ sunt opinionis, suo muneri satisfacere absque interrogationibus istis; Quòd si etiam expressa interrogatio non fieret, aut confessio de omissione pœnitentiæ, quoties occurreret considerato practica peccati, & pœnitentiæ, ratio hujus esset, ut inquit Ponc. *dis. 45. q. 4.* non quòd non esset obligatio habendi pœnitentię, sed quia moraliter loquẽdo habetur pœnitentia in tali casu, nisi affectus moraliter inordinatus id impediat, de tali verò affectu confiteri se solent peccatores, ex qua accusatione sufficienter cognoscit Confessarius omissionem pœnitentiæ, & recidit in idem, quod dicebamus,

214 Quarto tandem dubitatur, an peracta semel ritè pœnitentia restet obligatio rursus pœnitendi, quoties peccata remissa mẽti occurrunt, Negant Recentiores communiter, post pœnitentiam semel, ac sufficienter ritè peractam hominem teneri ampliùs postcà, quoties peccata memoriæ occurrunt, actu positivo pœnitentiã continuare, seù repetere, nisi in quantum denuò lapsus sit, quia sine dubio tunc esset ei iterum necessaria pœnitentia, ita Valentia, Suarez, Vasq. Coninchius, Amicus, Averſa, & alii passim. Fundamentum est, quia præceptum pœnitentiæ semel obligat tantum circà eadem peccata, quia habita semel pœnitentia, & contritione perfectè de uno, vel pluribus peccatis, ille liberatur à pœna æterna, & fit amicus Dei, & hæres vitæ æternæ: ergo non obligat, quotiescumque memoriæ peccatum occurrit. Conf. quia si teneretur homo pœnitentiam iterare, quotiescunque peccata semel expiata ex se in memoriam recurrunt, & ad hoc obligaretur ex vi ipsius pœnitentiæ, deberet etiam per se procurare hanc peccatorum recogitationem, quod patet esse falsum, nullum enim aliud extat simile exemplum, quòd homo per se non teneatur ad aliquem actum, sed solùm per accidens ex tali suppositione, sed sicut homo tenetur quidem aliquando actus, Fidei, Spes, & Charitatis exercere, non tamen quoties cogitatio talium obiectorum in mente surgit, quia hæc præcepta affirmativa determinant sibi certum obligationis tempus; ita etiã sentiendum de præcepto, & obligatione pœnitentiæ. Tandem, quia nequit assignari motivum dolendi de peccatis dimissis, cùm memoriæ occurrunt, & maximum onus imponeretur hominibus absque necessitate, peccator enim semel iustificatus obligatur tantùm ad pœnitentiam deinceps negativè, seù habitualiter continuandã, ne unquam, scil. complaceat de peccato commisso, & in hoc sensu Patres dicunt, debere adhuc peccatorum iustificatum pœnitentiam per totam vitam continuate; non tamen tenetur actu positivo illam repetere, quando peccata memoriæ occurrunt.

215 Cæterum satis quoque pium, & probabile est, teneri hominem ad pœnitendum etiam de peccatis dimissis pœnitentia virtute, sivè formali, siuè virtuali; quoties de illis complerè, & deliberatè recordatur. Ità Doct. *lo. ci. 4. dist. 45. q. 3. ad 3. prin.* ubi loquitur etiam de peccatis dimissis, nam ait, ad hoc fore abligatos etiam beatos; si in illis daretur memoria peccatorum, vel si datur, nisi gaudium beatificum impediret, certum autem est, peccata Beatorum antè ingressum beatitudinis fuisse deleta; & hoc idem docuerunt Alensis, D. Thomas, & D. Bon. ut referunt Fab. & Branc. *lo. ci.* & probatur eadem ratione, qua idem probatum est præced. dubio *n.* 115. de peccatis commissis, cùm enim homo post peccatum dimissum attentè recordatur illius, vel illud amat, vel odit, quamvis enim sit dimissum, non ob id cessat esse malum, atque ideò non cessat exigere odium sui, & in hoc sensu etiam dicunt Patres, adhuc peccatorem iustificatum continuate debere pœnitentiam per totã vitam, quotiesilli de novo sua peccata dimissa in memoriam redeunt cum cognitione practica de iis, prout detestabilia sunt. Nec rursus replicare iuvat, non teneri peccatorem iustificatum peccatum sic ei præsentatum detestari, sed ad divertendum intellectum à tali obiecto, ne se exponat periculo peccandi, vel ab omni actu cessare. Non sufficit, inquam, quia incidente cogitatione practica de peccatis commissis, vel dimissis, quatenus detestabilia sunt, non videtur voluntas posse ab omni actu cessare, & merè negativè se habere, nullum prorsus eliciendo actum, nam hoc est difficile, & moraliter non contingit, sed debet, aut velle, aut nolle actum detestationis, nolle videtur malum; ergo tenetur velle. Nec etiam actus divertendi intellectum à tali obiecto sufficit; alioquin sequeretur, nunquam teneri hominem ad sequendum rectum dictamen, ac divinam vocationem, quia posset sufficienter satisfacere illis peractum negativum, vel diversivum; & ita Deus frustrà, & sine ratione exprobraret damnatis Prov. 1. *Vocavi, & renuistis. extendi manum meam, & non erat, qui aspiceret, ego quoque in interitu vestro rideba* Undè quamvis verum, sit Deum non semper vocare obligando, sed consulendo tantùm, alioquin semper sub præcepto teneremur respondere internis motionibus ad bonũ excitantibus; tamen quãdo ad pœnitentiam vocat, commissa peccata practicè detestanda nobis proponẽdo, & interdum etiam remissa ad eam cõtinuandam, ac repetendã, dicendũ est, tunc nos vocare obligando, ut vocationi respondeamus, & non consulendo tantùm, ut ex relata divina exprobatione deducitur. Deniq; hoc saltem adversarii negare non possunt, quòd si quando incidit memoria peccati remissi, ad sit periculum complacentiæ, vel dilectationis morosæ, tunc tenemur positivum pœnitentiæ, ac displicentię actum elicere, quia per hoc tutiùs excluditur peccatum, quàm per actum diversivum.

216 Ad fundamentum in oppositum dicendum est, præceptum pœnitentiæ utique tantùm obligare semel pro venia obtinenda; adhuc tamẽ etiam obligare ad eam repetendam, incidente cogitatione practica de peccatis remissis, quatenus detestabilia sunt, ne novum peccatum committatur. Ad Conf. negatur consequentia, ex hoc enim, quòd incidente practica cogitatione de peccatis etiã remissis, quatenus detestabilia sunt, teneatur homo ad repetendum pœnitentię actum, minimè sequitur, quòd etiam semper teneretur per se procurare hanc peccatorum recogitationem, si enim id facere non teneretur circà peccata commissa, nondùm expiata, tanto minùs circà peccata remissa, ut dictum est in preced. Dubio; Neque nos negamus, hominem per se teneri aliquo tempore ante articulum mortis ad actũ pœnitentię de peccatis commissis sed solùm per accidẽs, ex tali nempè suppositione, quòd ex aliqua occasione

menti obiicitur, ut detestanda; imò diximus dubio præcedenti dari aliquod tempus antè mortis articulum, in quo per se tenetur hanc peccatorum recogitationem procurare ad ea detestanda, & præter hoc teneatur etiam ea detestari per accidens ex tali suppositione, quòd ex aliqua occasione menti obiiciantur, ut detestanda, & hoc loquendo de peccatis commissis nondùm expiatis; nam loquendo de semel dimissis, gratis concedimus, in nullo tempore per se teneri hanc peccatorum recogitationem procurare ad ea detestanda, sed solùm per accidens ex tali suppositione, quòd menti obiiciantur, ut detestanda; & per hoc salvatur ratio præcepti affirmativi, quod sibi determinat certum obligationis tempus, quia præcipua circumstantia, & conditio, quæ facit præceptum affirmativum pœnitentiæ obligare etiam circa peccata remissa, est, quando in mentem recurrunt, ut practicè detestanda; & hoc est discrimen valdè notandum, quod versatur inter obligationem pœnitentiæ ad detestanda peccata commissa, ac etiam remissa, quando menti occurrunt; nam ad hæc detestanda tenemur præcisè ex tali suppositione, quòd menti occurrant, atque ità merè per accidens; ad illa verò tenemur etiam per se aliquandò antè mortis articulum eorum recogitationẽ procurando. Ad ultimum negatur assumptum, quia sicut bonum exigit semper amari, etiam postquam millies est amatum, ità & malum exigit semper odiri, etiam post plura odia præcedentia; undè remissio peccati non tollit, quin rursus odiri debeat, quàndo menti occurrit, ut practicè detestandum; Neque ob id maximum onus imponitur hominibus absque necessitate, quia præceptum pœnitentiæ non per se obligat post peccatorum remissionem, quasi tenetur homo etiam per se hanc peccatorum recogitationem procurare, sed solùm per accidens, facta nimirùm tali suppositione, quòd ex aliqua occasione peccata dimissa in mentem recurrant, ut practicè detestanda.

QUÆSTIO OCTAVA.

De efficacia Pœnitentiæ virtutis ad tollendum peccatum mortale.

217 CErtum est ex dictis, in lege Evangelica duo dari media ad delendum peccata post baptismum commissa, scilicet, contritionem perfectam, & attritionem cum sacramento; pœnitentia virtus, quæ dicitur attritio, de facto non potest se sola absque sacramento delere peccata mortalia, ita Conc. Trid. *sess. 14. c. 4.* circà finem, ubi dicit, attritionem non disponere ad iustificationem, & gratiam se sola, licèt id faciat cum sacramento, quod etiam anteà docuit Scot *dist. 19. in resol. q. 2.* in fine, & ratio est in promptu, quia si attritio sufficeret, frustrà institutum esset sacramentum pœnitentiæ in supplementum efficaciæ attritionis. Pœnitentia autem virtus, quæ dicitur contritio, nedùm in lege veteri efficaciam habuit delendi peccata mortalia, sed eam quoque habet in lege Evangelica cum hac conditione, quòd saltem in voto sacramentum requirat pœnitentiæ, sic etiam docuit Trid. *loc. cit.* & Scot. *4. dist. 20. qu. un.* A. Nunc igitur discurrendum est de modo, quò pœnitentia, seù contritio causet remissionem peccati mortalis.

ARTICULUS PRIMUS.

Quomodo Pœnitentia, seù contritio causat remissionem peccati mortalis.

218 IN hac quæstione tres sunt sententiæ. Prima tenet, peccati deletionem à contritione causari physicè, & in genere causæ efficientis; ità quidam Thomistæ, eò quòd D. Thomas *q. 85. art. 2. ad 3.* dixit, pœnitentiam expellere peccatum effectivè, & expresè Ledesma *4. part. qu. 27. art. 4.* Secunda sententia docet, contritionem in genere causæ formalis ex natura rei expellere culpa, itaut habeat formaliter vim justificandi peccatorem, vel per se, & præcisè sumpta, vel saltem conjuncta cum gratia habituali, ita Meratius, Hurtadus, Turrianus, & alii, quibus prævit Vasquez *p. 2. disp. 203.* Tertia tandem, & communior sententia docet, contritionem solùm esse dispositionem ad remissionem peccati, vel se sola, & ex natura, sicut est calor ad expulsionem frigoris, vel ex institutione divina. Pro resolutione quæstionis.

Primò Dicendum est, contritionem non esse deletivam culpæ physicè, & in genere causæ efficientis. Conclusio est communis, & probatur, quia forma non expellit aliam physicè, & efficienter, nisi producendo in subjecto formam alia physicè cum illa incompossibilem, ut patet de igne per physicam efficientiam frigiditatè à ligno, vel aqua expellente, quia in eis physicè calorem inducit; sed contritio non producit physicè formam cum peccato incompossibilem, scilicet, gratiam, vel charitatem; quamvis enim Thomistæ nonnulli dicant, actum ipsum pœnitentis concurrere physicè effectivè, saltem instrumentaliter, ad producendam gratiã sanctificantem in anima; hoc tamen falsum omninò est, quia gratia, & charitas non ab actibus nostris, estò supernaturalibus, sed à solo Deo physicè, & immediatè producuntur; ergo &c. Tùm quia estò etiam actus supernaturales ipsius pœnitentis eo modo ad producendã gratiam instrumentaliter concurrerent, gratia tamẽ peccatum non expellit physicè, & ex natura rei, sicut calor frigus, quia non opponuntur physicè, & ex natura rei, sed tantùm moraliter, & demeritoriè, ut dictum est *lib. 2. disp. 7. de Justificatione q. 2.* ergo &c. Tùm tandem, quia contritio intantùm delet culpam, inquantùm tabitat Deus, ad positionem ejus culpam delere; ergo eam delet non in genere causæ physicæ, sed moralis tantùm.

219 Secundò Dicendum est, contritionem causate peccati remissionem in genere causæ formalis, quasi per contritionem homo formaliter justificetur, sed tantùm moralis dispositivè. Hæc etiã est valdè communis contrà secundam sententiam, & est Scoti 1. *dist. 17. qu. 1.* ubi ex professo docet, hominis justificationem de facto fieri per habitum infusum, non per solùm actum, & *4. dist. 14. q. 2. §. de secundo principali*, ubi docet, attritionem perfectè circumstantionatam in genere moris, quæ in ejus sententia est contritio informis, quatenus natura præcedit gratiam, esse dispositionem tãtum, & meritum de congruo ad justificationem, & peccati remissionem; quatenus verò formata est gratia, delere peccata etiam formaliter, non ratione sui, sed gratiæ annexæ, à qua valorem accipit; Et sic etiam loquitur Trid. *sess. 6. cap. 7.* ubi ait, *hanc dispositionem, seù preparationem justificatio ipsa consequitur, & sess. 14. capit. 4.* docet, *per contritionem nos præparari ad justificationem*, forma autem dispositiva ad aliquem effectum non causat eum forma, liter, & præsertim si solùm sit dispositio in genere moris, sic ut est contritio, nõ enim est dispositio ad justificationem physicè, & ex intrinseca sua natura, ut dictum est *disp. 7. de justic. qu. 8. art. 3. n.* 258. sed tantùm ex institutione Dei liberè illam acceptantis in ordine ad remittendum infallibiliter peccatum. Item Trid. *l. c.* contritionem, & pœnitentiam appellat formam impetrativam remissionis peccatorum, dùm ait, *Contritionem fuisse omni tempore necessariam ad impetrandam veniam peccatorum*, forma autem impetrativa alicuius effectus non causat eum formaliter; ergo ex modo loquendi Concilii Trident. clarè deducitur, contritionem non causare peccati remissionem in genere causæ formalis, sed propriè esse causam remissionis peccatorum, tanquam causa moralem, per modum dispositionis, impetrationis, præparationis ad gratiam justificantem, quæ formaliter peccata remittit, & delet.

Sed hoc puncto jam ex professo tractavimus *l. c. lib. 2. disp. 7. de Justificatione qu. 8. ar. 1.* ubi ostendimus, solam, & adæquatam causã formalem justificantem in nobis esse gratiam habitualem, ut docet Trid. *sess. 6. cap. 7.* dum inquit, quòd *unica formalis causa est justitia Dei, qua nos justos facit*; atque adeò diximus, actum contritionis non habere per se vim justificandi formaliter peccatorem, & gratiam habitualem esse per se causam adæquatam formalem talis justificationis, itaut etiam sine alia dispositione propria peccatoris ipsù justificaret. Verùm quia adhuc ulteriùs dubitatur, nũ pœnitentia ita sit causa moralis justificationis, ut se habeat per modum meriti ad illam: aliqui enim tenentes, nullum meritum debere præcedere justificationem, negant, pœnitentiam ullam habere meriti rationem, nolentes uti, nisi nomine dispositionis moralis; ideò pro resolutione hujus difficultatis.

220 Tertiò Dicendum est, posse dici peccatorem per pœnitentiam perfectam, qualis est contritio, aliquo modo justificantem gratiam mereri; sed quia duplex est meritum, scilicèt, de congruo & de condigno, addendum est, non mereri de condigno, sed ad sũmum de congruo. Ita Scotus *l. c. dist. 14. qu 1. T. & qu. 2. §. de secundo principali, & dist. 19. in fine, & dist. 20.* ab initio, ubi docet pœnitentiam virtutem, quæ justificare potest sine sacramento in re, hoc facere, ut meritum de congruo; sic etiam passim Scotistæ loquũtur, Faber, Hiquæus, Hiribarnes, Brancatus, & alii, qui etiam advertunt, ita locutum fuisse D. Thomam *p. 2. qu. 109. art. 6.* Alensem *qu. 17. memb. 1. art. 2.* & D. Bon. *dist. 16. ar. 3. qu. 1.* & sic etiam loquũtur Recentiores, ut videre est apud Averſam *part. 2. qu. 114. sec. 6.* & Card. de Lugo *disp. 8. de pœnit. sec. 6.* Et quidem quòd pœnitentia perfecta non deleat peccata, nec ad justificationem disponat, ut meritum de condigno, deducitur ex omnibus Scripturæ locis, quibus significatur, peccatorem gratis justificari juxtà illud Rom. *Justificati gratis per gratiam ipsius*; at si contritio esset meritum deletionis culpæ de condigno, talis deletio culpæ non esset gratia, & donum liberale Dei, sed merces, & præmium, quod enim debetur merito de condigno, est merces, & præmium, hac enim ratione opera salutaria, quæ in homine justo dicuntur de condigno meritoria, habent pro termino justam mercedem ex motivo justitię, non donum gratuitum, & hæc est expressa doctrina Tridentini *sess. 7. cap. 8.* dùm inquit, quòd gratis justificari omninò dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sivè fides, sivè opera, ipsam justificationis gratiam promerentur.

Confirmatur, quia meritum de condigno supponit in operante statum gratię, & quòd ab habitu gratiæ procedat, ut dictum est *lib. 3. disp. 3.* de Merito Christi *q. 3.* sed contritio non ita se habet, cùm fiat ab existente in peccato, ut supponitur veluti previa dispositio ad gratiam impetrandam, etenim peccator cum auxilio supernaturali incipit conteri, & postea Deus gratiam producit,